



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs III. De Rescriptis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

pro, per se vel per aliam, possit pro tribunali sedere: unde per sensum contrarium colligitur, quod in loco exempto iudicia exercere non possit: idque ne validè quidem. Vel locus siue ecclesia non est plenissimè exempta, quia vel populum subiectum non habet, vel is ab Episcopo exemptus non est, adeoque Prælati loci quasi episcopalem iurisdictionem habere non censetur. In hoc casu, vera est doctrina Friderici de Senis in consil. 2. allegata & commendata hic à Franco cit. n. 111. quod *subditus Episcopi delinquendo in loco exempto, obligatur statuto eius*: Quia privilegia ista exemptionis, quatenus sunt præiudicatia iurisdictioni ordinaria Episcopi, strictam interpretationem recipiunt; neque debent de casu expresso ad alios non expressos extendi, argum. c. cum capella 16. de priuileg. Et præberet hæc res occasionem delinquendi, turbarèturque non parum diocesalem Episcopi iurisdictionem, si ea erga Religiosorum Monasteria & Collegia, aut similia loca exempta, etiam comparatione subditorum in ijs delinquentium, se

non protenderet, uti per se patet.

Quamobrem, si Episcopus in eiusmodi Monasterio existens, personas sibi subditas citaret, & iudicia inter eas exerceret, acta valida forent, nec possent subditi contra processum excipere: sed ut licitè ac conuenienter hæc fiant, requiritur consensus Abbatis loci. Quæ doctrina sumitur ex c. luminoso 6. causa 18. q. 2. & traditur à Gl. in Clem. vn. ver. aut earum parte, de foro compet. Et ab hac sententia non discrepat P. Suarez cit. loco: solum enim dicere intendit, Monasteria & ecclesias Religiosorum exemptorum, non esse omnino ac plenissimè exempta; & non tam per se ac ratione sui, quàm personarum privilegiatarum inhabitantium: Adeo quidè, ut si accidat, Religiosos locum seu ecclesiam deserere, aut in Religiosos vel Clericos non exemptos transferendo alienare, ea haud dubiè sub iurisdictionem Episcopi recasura sit: quia sublato principali, tollitur accessorium; siue, sublato eo, quod est per se, tollitur etiam id, quod est per accidens.

TITVLVS III. DE RESCRIPTIS.

SUMMARIVM.

1. Rescriptum vim constitutionis & legis obtinet.
2. Et si propriè accipitur, est datum à Principe responsum, ad alterius consultationem, suggestionem aut petitionem.
Differt ab oraculo, epistolâ decretali, & priuilegio seu bulla gratiæ, in quo?
3. Rescripta alia generalia sunt, que omnes subditos obligant; alia specialia, qua ius faciunt inter partes, & in negotiis, pro quibus emanarunt.
4. Rescriptum aliud est secundum leges communes, & propriè Rescriptum dicitur; aliud contra illas, & vocatur

privilegium; aliud denique præter eas, & dicitur gratia seu beneficium Principis.

5. Similis diuisio est in Rescriptum iustitiæ, & gratiæ seu beneficii.



Estè post Constitutiones siue leges, de rescriptis Principum tractatur. Nam ea vim legis obtinere ait Vlpianus in l. i. ff. de Constit. Principum, *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*. Veruntamen ex seq. §. eiusd. l. colligitur, Vlpianum legis vocabulum latè accepisse, pro quacunque constitutione, iussione, aut sententiâ robur habente secundum plenam Principis, à quo proficiscitur, potestatem:

H 3

Inquit

Inquit enim, *Planè ex his (constitutionibus) quedam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur*: cum tamen dictæ leges commune, & ad omnes pertinens præceptum continere debeant, l. 1. & seqq. ff. de legibus, & dixi suprâ in c. 1. tit. præced. In antiquis.

2 Pro maiore intellectu, aduertendum primo, Rescriptum Principis, si propriè accipiatur, aliud non esse, quàm à Principe in scripto datum responsum, ad alterius consultationem, suggestionem, aut petitionem. Quare differt ab oraculo, quòd viæ vocis responsum est: Deinde differt ab epistola decretali & priuilegio, seu bulla gratiæ, quòd hæc non semper dentur ad alterius petitionem, vel suggestionem: sed interdum proprio motu Principis, nullaque præcedente petitione.

3 Aduertendum secundo, Rescripta seu responsa Principis, alia generalia sunt, & alia specialia. Generalia sunt, quæ vim obligandi erga omnes, seu in omni loco subiecto habent; Vel quia eâ mente primitus data sunt, l. 3. §. Diuus Adrianus, ff. de sepulchro violato, & exemplū est in l. ult. C. de temp. in integr. restitutionis: Vel quia postea in corpus iuris cum auctoritate redacta, atque omnibus proposita sunt, vt vim legum seu decretorū haberent, vt constat ex præfat. Gregor. IX. Papæ super quinque libr. decret. & cap. 1. d. 20. & annotauit Bartol. in l. 1. ff. de constit. Princip. & videri possunt quæ dixi tit. præced. in c. 1. n. 6. Specialia autem rescripta, seu responsa sunt, quæ cum respectu ad certam causam, personas, locum, vel tempus emanarunt, iuxta c. 1. d. 29. neque maiorem postea extensionem acceperunt. Et de his sermo est in l. 2. C. de legibus, vbi dicitur, quòd responsa Principis ad relationes & suggestiones Iudicū in certo negotio, sicuti & priuilegia, seu concessiones factæ alicui prouinciæ, ciuitati, aut Curtiæ, *generalia iura non sint, sed leges faciant his duntaxat negotiis, ac personis, pro quibus fuerunt promulgata.*

4 Aduertendum tertio: Rescriptum Principis aliud esse secundum leges communes,

quod nomen rescripti strictè & propriè sibi vendicat: De his sermo est in l. penult. C. de precibus Imperatori offerendis, quòd *rescripta Principis contra ius elicitæ ab omnibus Iudicibus refutari conuenit.* Aliud verò est contra communes leges, & dicitur priuilegium, quasi priuata lex, in fauorem alicuius specialiter data, c. 3. d. 3. Aliud denique est rescriptum præter legem, quòd dicitur gratia seu beneficium Principis. Quamquam, vt suprâ dixi, gratia, & priuilegium latius etiam patent, quàm rescriptū propriè & strictè acceptum. Id enim requirit, suggestionem seu petitionem præcessisse: At verò gratia & priuilegium interdum datur proprio motu & nullâ præcedente petitione, vt suprâ dixi. Interim verò nihil prohibet, quin clausula *motus proprii* apponatur propriè dicto rescripto, si videl. antecessit petitio, sed Pontifex non eam ex ea, quàm ex sua gratia & liberalitate moueatur ad concedendum, vt videre est apud Petr. Rebuffum in praxi benefic. tit. de clausulis mandator. n. 2.

5 Similis diuisio est, quòd rescriptum aliud est iustitiæ, seu tendens ad iustitiæ administrationem idque plerumque esse solet ad lites iudiciarias, si videl. partibus in iudicio contententibus, ad controuersæ terminationem Princeps secundum iura rescribat. Aliud verò est rescriptum gratiæ, seu beneficii, quòd ex mera Principis liberalitate in fauorem alicuius, contra, aut præter commune ius conceditur: Et hæc vel gratiæ absolutæ sunt, in nullius grauamen cedentes, de quibus sermo est in suprâ cit. l. penult. C. de precibus Imper. offerendis; *si sit aliquid, quòd non ledat alium, & pro sit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat, seu condonet.* Vel gratiæ respectiuæ, & cum alterius onere, aut iuris aliquo præiudicio iunctæ. Tametsi verò istæ gratiæ, seu priuilegia, præsertim si nullâ antecedente petitione, motu proprio procedant, nõ propriè rescripta dici debeant, latè nomen eo nomine etiam comprehenduntur, prout Abbas annotauit in rubr. huius tit. dicens, ita hic accipi, quia sub hoc titulo de rescriptis tracta.

tractatur etiam de priuilegijs, & rescriptis beneficialibus. Videri etiam potest Rebuff. in praxi benef. p. 1. tit. de differ. inter rescripta gratiæ, & iustitiæ, & in tract. de rescript. & literis regijs in præfat. n. 11. & seqq. Petr. Greg. Tholosanus lib. 1. de rescript. cap. 2. diu. 1.

CAPITVLVM I.

Sicut Romana.

PARAPHRASIS.

Titio à Sede Apostolica generaliter concessa fuit licentia appellandi: postea verò Pontifex causam, quæ inter Titium & Caium erat, Iudicibus delegatis, sublato appellationis remedio, commisit; sed Titius postea à sententia Iudicum appellauit. Hoc casu respondit Alexander III. appellationem illius admittendam non esse: quia speciale rescriptum de non admittenda appellatione in certa causâ derogat generali rescripto, seu priuilegio appellandi à Iudicibus.

SUMMARIVM.

1. Potest Papa, & quilibet supremus Princeps (solus tamen) iudici delegare causam, sublato appellationis remedio.
2. Potest etiam Princeps alicui per priuilegium concedere, ut ei liberè appellare liceat.
3. Priuilegium, si fieri potest (vbi potest in predicto priuilegio) ita explicandum est, ut aliquid ultra ius commune tribuat.
4. Mandatum speciale derogat generali.
5. Et si mandatum sit lex generalis, et derogat lex specialis, siue hac sequatur, siue præcedat.
6. Legi generali non derogat rescriptum iustitiæ ei contrarium.
7. Derogatur ei per priuilegium strictè acceptum, quod est contra ius seu com-

- munem legem; quod est præter vel ultra ius, priuilegium est latè acceptum.
8. Priuilegium (latè acceptum) generale derogatur & limitatur per speciale rescriptum, seu alias concessum priuilegium.
 9. Rescripto generali, siue iustitiæ sit, siue gratiæ, aut beneficiale, derogatur per alterum speciale; quod tamen cum limitatione intelligendum.
 10. Non valet Rescriptum à Pontifice, nec executioni mandari debet, per quod illegitimo confertur Canonatus Ecclesie; in qua statutum viget, ut nemo illegitimus Canonicus instituatur, nisi huius specialis mentio fiat, aut rescripto inserta sit clausula derogatoria.

NOTANDVM I. Rom. Pontifex, tanquam supremus Iudex in rebus ecclesiasticis, potest Iudici causam delegare, sublato appellationis remedio. Sed id præter Principem seu supremum iudicem, nemini alteri concessum esse, constat ex c. super quæstionum 27. iun. Gl. ver. prouocationis, de off. delegati, l. 1. §. Interdum, ff. A quibus appellare non licet, & videri potest Gl. in c. vlt. ver. figura, de hæret. in 6. quod inferior Princeps, etiam Legatus, non possit concessa alicui iuris remedia auferre.

NOTANDVM II. Princeps alicui per priuilegium concedere potest, ut liberè ei appellare liceat: Ita apertè colligitur ex textu cit. Sed est difficultas, quam hinc mouet Gl. ver. vt liberè. Priuilegia enim ita concedi debent, ut quippiam operentur, idèque aliquid tribuant, quod iure communi concessum non est, uti constat ex l. 1. C. de thesauris lib. 10. & c. in his 30. de priuilegijs vbi id tradit Gl. communiter recepta ver. ex indulgentia. Atqui communi iure omnibus remedium appellationis concessum est; maximè in causis ecclesiasticis ad Rom. Pontificem c. de appellationibus 11. c. super eo 12. de appellat. Ergo inutile fuit priuilegium seu indultum à Sede Apostolica Titio datum, ut liberè appellare liceat.

Duplex.

Duplex est responsio, quæ vtraque vera esse potest: Prima quam indicat Gl. cit. & probat Innoc. hîc, ver. Vel dic melius; Nihil de nouo per hoc priuilegium concessum fuisse; sed communiter competentem appellandi facultatem speciali prouisione corroboratum; quia id interdum, v. g. ob aduersariorum potentiam, expedit; siquidem specialis cautio plus timetur, quàm generalis, c. quamquam 6. d. 23. vbi id, allegato isto c. annotauit Gl. ver. plus, quod aliquis iure communi, & dato priuilegio tueri se potest. Et secundam hunc intellectum facîle defenditur ratio responsi Pontificij, quæ in fine c. ponitur, quia speciale mandatum derogat generali. Mandatum enim seu rescriptum à Principe emanans contra ius commune, derogat ei, etiam non facta ipsius mentione; dummodò eiusmodi derogatio insolita non sit, siue contra Curia stylum, vti constat ex ijs, quæ dixi in c. 1. de constit. in 6. Cùm itaque id frequens sit, vt Papa causam alicui specialiter committat, non adiecta clausulâ derogatoriâ iuris communis, cognoscendam, ac terminandam remoto appellationis remedio, ideò, si ponamus, per indultum illud Apostolicum Titio substantialiter nihil concessum fuisse, nisi quod iure communi competebat, sequitur, huic indulto per speciale subsequens mandatum seu rescriptum derogatum fuisse.

Altera est responsio Hostiens. in summa tit. de rescriptis, §. sed potest distingui, quam reprobat Gl. hîc ver. vt liberè, sed defendit Ant. de Butrio n. 10. Indultum quodlibet, siue priuilegium, si fieri possit, ita explicare conuenit, vt aliquid vltra ius commune, seu quod communi iure concessum non est, tribuat, vti apertè habetur in cit. c. in his; quando itaque in casu huius c. priuilegium Titio concessum fuit, vt ei liberè appellare liceat, explicare debemus, indultum fuisse, vt modis etiam ijs, quibus alioquin communi considerato iure integrum non est, appellare possit; dummodò concessio absurda & insolita non sit; videl. vt non tantum bis, sed sæpius in eadem causa; & non tantum in scripto, sed etiam sine scriptura à

grauamine, aut sententia interlocutoria appellare liceat.

Sed secundum hunc intellectum, difficile est defendere rationem, seu regulam à Pontifice hîc traditam; mandatum speciale derogat generali; Non enim verum videtur, quòd priuilegio generali supra, siue vltra ius alicui concessio derogetur per rescriptum seu mandatum speciale, si illius nulla omninò mentio fiat. Idque ostendi potest primò; Quia posterius hoc rescriptum videtur procedere ex ignorantia prius dati priuilegij, iuxta c. 1. de constit. in 6. vbi Papa profiteretur, se talia, quæ facti sunt, seu in facto consistunt, si in iuris corpore non contineantur, probabiliter ignorare. Secundò, Quia non facîle præsumendum est, quòd Princeps iuri alteri acquisito per prius indultum, derogare velit; siquidem in Principe inconstantia reprehenditur, & vt ex Baldo refertur consil. 327. *Princeps debet habere vnum calamus & vnam linguam, non plures.* His tamen nihil obstantibus rectè defenditur intellectus ille Hostiensis ex c. dudum 14. de præbend. in 6. vbi habetur, quòd secundum canonicas & legitimas sanctiones, per speciem generi derogatur, quamquã de genere in derogante specie mentio nulla fiat. Et ex c. quamuis tibi 38. eod. in 6. vbi habetur, Si Papa alicui generatim concesserit facultatem vacantia beneficia suo nomine conferendi, postea verò alteri beneficiu in eadem ecclesia conferat, aut conferri mandet; posterius istud mandatum seu rescriptum executioni mandandum esse; *nam prima generali gratia derogat posterior specialis, licet de illa non fecerit mentionem.*

Ad 1. argum. supra allatum respondetur; Rescriptum speciale iuxta casum huius c. non esse omninò contrarium indulto priori generali; cùm eius fructum & utilitatem non penitus tollat, sed aliquatenus tantum diminuat, aut limitet; in alijs sui partibus, aut occurrentibus casibus integrum relinquens. Sed nec voluntas derogandi priuilegio prius generatim concessio deest: cùm illud Pontifex eo modo ac conditione concedere

cedere soleat: ut ipsi integrum sit, occurrente aliquo casu, per rescriptum limitare, aut ei derogare, iuxta cit. cap. dudum, §. nos igitur. Quare tamen ponamus, Pontificem ignorare, aut non recordari prius dati priuilegij generalis, hæc tamen ignorantia non est causa postea dati rescripti specialis: quandoquidem etiam eâ sublata, probabiliter emanaret. Ad alterum respondetur; Si per prius concessum priuilegium ius in re alteri acquisitum sit, non esse præsumendum, Pontificem posteriore rescripto ei derogare voluisse, nisi exprimat, sicuti postea dicam. At verò si ius in re non acquisitum, sed tantum generalis alicui facultas ad actus publicos seu legitimos, qui nunquam sub Principis dispositione esse desinunt, concessa sit, v. g. appellandi liberè etiam sine scriptura, conferendi beneficia, iudicandi in certo causarum genere; existimandum est, quòd specifica dispositio generali derogat.

4. NOTANDVM III. Mandatum speciale derogat generali. Ita habetur in fine huius c. & consentit reg. 81. ff. *In toto iure generi per speciem derogatur; & illud potissimum videtur, quòd ad speciem directum est.* & reg. 34. in 6. Verum, cum varia sint Principis mandata; Aut enim sunt leges, aut sunt rescripta, eaque vel ad lites, siue iustitiæ, vel rescripta gratiæ, eaque vel meræ gratiæ, seu beneficia; vel propriè & strictè priuilegia, quæ contra ius, seu ut derogatoria iuri, data sunt; aut denique rescripta beneficialia; De his singulis aliquid dicendum, vtrum mandatum speciale deroget generali.

5. Dico autem I. Legi generali derogat lex specialis, siue specialis sequatur, siue præcedat. Quòd lex specialis posterior deroget priori generali, etiã nulla eius facta mentione, constat ex c. 1. de constit. in 6. Quòd verò lex specialis prius lata, deroget posteriori generali; siue, vt aliis verbis dicam, quòd posterior lex generalis saluam relinquat legem priorem specialem, ab eaque limitetur, tradunt Doctores communiter apud Sanch. lib. 2. de matr. disp. 24. nu. 6. Gl. in cit. reg. 34. in 6. Baldus hinc nu. 12. & 13. Rodriq. tom. 1. reg. 99. q. 59. a. 2. qui affert exemplum. Sit lex

aliqua antiqua, quæ nobilibus eorumque filiis vsus armorum permittat, vt ipsis à Iudicis familia auferri nõ possint; Postea feratur alia lex, quæ generatim vsus armorum prohibeat, non facta mentione, seu derogatione legis anterioris specialis: dicendum, eam non tolli per posteriorem; sed hanc limitari per anteriorem: quia generi per speciem derogatur: siue species antecedit, siue sequatur. Ratio huius doctrinæ est: Cum enim iuri ù correctio odiosa sit, nec sine necessitate introducenda. cum expediat 29. de elect. in 6. ideo, si fieri possit, & mens seu voluntas statuentis non apertè repugnet, ita vtramq; legem accipere debemus, vt posterior generalis anteriorem specialem non corrigat, seu aboleat; sed per eam limitari debeat; cum id frequentissimum sit, vt regula generalis per specialia quædam limitetur. Aliquando tamen apertè ex verbis colligitur, per legem posteriorem, vniuersaliter latam, præsertim si prohibitua sit, omnia tolli, quæ ei contraria sunt; quare tunc locum habet regula, quod qui omnia dicit, nihil excludit, c. solitæ 6. §. vlt. de maior. & obed.

Dico II. Legi generali seu communi contrarium à Principe emanans rescriptum iustitiæ, ei non derogat, sed falsum & obreptitiuū censeri debet. Nam Princeps fons iustitiæ est, ac veluti lex animata, Authent. de Consulibus §. vlt. iun. Gl. ver. legem, collat. 4. Et ideo non decet, vt inde iniuriarum nascatur occasio, vnde iura nascuntur, l. meminerint 6. Cod. vnde vi. Dixi de hac re in cap. quæ in ecclesiarum 7. quæst. 3. dicto 1. de constitution.

Dico III. Legi generali haud dubiè derogatur per priuilegium strictè acceptum, teste Abb. hinc num. 8. Petro Rebuffo de rescript. & liter. regis in præfat. num. 72. & sumitur ex l. rescripta, Cod. de precibus Imperatori offerendis. Nam hæc est ratio priuilegij, quòd sit à Principe seu Magistratu concessa gratia, seu indulgentia, aduersus ius commune seu ordinarium, prout tradit idem Abb. in c. olim, num. vltim. de verb. signif. & dogui in Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 5. vbi videre licet, priuilegium interdum
I
latius

latius accipi, vt duas species complectatur, quia aliud est priuilegium contra ius, seu communem legem: aliud verò præter ius, seu vltra ius, v. g. potestas absoluendi, dispensandi, ex liberalitate Principis concessa alicui, vel aliquibus, quibus iure communi non competit.

8 Dico IV. Priuilegium (latè sumpto vocabulo) generale derogatur ac limitatur per speciale rescriptum, seu aliàs concessum priuilegium. Hoc est præcipuum huius c. intentum: Quare dicunt Doctores, vt videre est apud Anton. hic n. 1. Felin. n. 3. Rebuffum de rescript. & literis regijs in præfat. n. 107. Suarez lib. 8. de legibus. cap. 38. n. 5. & seqq. Azor tom. 1. lib. 5. cap. 22. q. 12. quòd priuilegio generali obstat rescriptum seu priuilegium speciale. Idque vel maximè locum habet, si priuilegium antecessit: Si v. g. alicui immunitas à tributis specialiter concessa sit, non derogabitur eius priuilegio per decretum subsequens, quo omnes tributum pendere iubentur. Non enim censetur Princeps prius concessam priuilegium auferre velle, nisi id exprimat, c. veniens 19. de præscript.

Sin autem rescriptum aut priuilegium posterius datum sit, distinguere oportet, vt supra in not. 2. huius c. Si enim nihil iuris in re acquisiti propriè auferatur, sed duntaxat facultas actuum exercendorum, qui Principis potestati suapte naturà subiacere censentur, per priuilegium limitetur, derogabitur priori generali. At verò si per prius generale alicui concessum priuilegium ius in re acquisitum sit, non censetur Princeps illud notabiliter imminuere velle: sed posterius derogatorium speciale rescriptum siue priuilegium ex prioris ignorantia procedere: eò quòd Princeps rescriptorum omnium, seu concessorum priuilegiorum, propter multitudinem, recordari non possit iuxta c. ex parte 12. de off. deleg. Et sumitur doctrina hæc ex c. quamuis 8. hoc tit. in 6. c. ex tua 9. de filiis presbyter. eamque exemplis declarauit in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 23. n. 27. limit. 2.

9 Rescripto generali, siue id iustitiæ sit, si-

ue gratiæ, aut beneficiæ, derogat alterum speciale, prout ex communi docet Rebuff. de rescript. & literis regijs in præfat. n. 103. & sumitur c. pastoralis 28. §. Præterea, verò. Nos autem, de offic. delegati, c. pastoralis, §. quoniam, hoc tit. & supra cit. cap. dudum. Dummodò materia subiecta patiat, vt speciale mandatum seu rescriptum sit veluti limitatio quædam rescripti generalis. Sin autem ambo rescripta ita comparata sint, vt simul, spectatà intentione Principis, consistere non debeant, tunc valet prius rescriptum, posterius autem per ignorantiam, vel obreptitiè emanasse censetur, si de priore nulla in eò mentio fiat, c. 3. hoc tit.

10 **QVAERI** solet: Si Pontifex pro illegitimè nato scribat, vt ipsi canonicatus conferatur in ecclesia, in qua statutum viget, vt nemo illegitimus Canonicus instituat, num literæ valeant, & executioni mandari debeant. Videtur esse affirmandum; Quia tales literæ continent dispensationem in communi iure; cuiusmodi dispensatio Pontifici Rom. permittitur, & non inconsumata est: derogatur itaque iuri communi, consequenter & statuto; cum id nihil diuersum contineat à statuto. Sed contrarium communiter tradunt, nominatim Ant. de Butrio hic n. 13. & seqq. Imola n. 12. Ioan. Andr. in c. 1. de filiis presbyter. in 6. Petr. Rebuff. in praxi benef. p. 1. tit. de differ. rescript. n. 14. Propterea, quòd rescripta ad beneficia, ad excludendam ambientium importunitatem, strictè interpretationis esse debeant, iuxta cit. c. 1. de filiis presbyter. in 6. Arbitror autem, doctrinam hanc intelligendam esse, non si Ecclesiæ statutum mera sit commemoratio, aut propositio communis ecclesiastici canonis; sed si ex propria ratione seu causa editum sit, nimirum ad arcendas dispensationes, tanquam noxias futuras ecclesiæ, in qua statutum viget. Negari enim non potest, quin statutum conforme iuri communi, si propriam rationem, vtilitatem & effectum habere possit, superaddant nouum vinculum seu obligationem: cum nihil obstat, eandem rem pluribus vinculis seu obligationibus subiectam esse ita vt vno sublato, alteram permaneat. Quare in hoc

hoc casu, si statuti nulla mentio fiat, seu clausulam derogatoriam literæ non habeant, obreptitiæ iudicari debent. Et hæc est theoria Anton. cit. loco & Felin. h. c. n. 15.

CAPITVLVM II.

Ex parte Conuentrenſ.

PARAPHRASIS.

Clericus Guilielmus literas impetrauit à Pontifice Alexandro III. ad Episcopum Conuentrenſem, vt si ipsi constaret, Franciscum Beneficiarium de periurio conuictum esse, aut beneficio in perpetuum renúciasse, remoto Francisco beneficium conferret Guilielmo. Franciscus à sententia hac ad Pontificem, & à Romana Sede literas ad Archiepiscopum Cantuariensem reportat, quibus ipsi mandatur, vt præbendam absolutè, & sine causæ cognitione restituat Francisco. Quo intellecto Papa rescribit ad dictum Archiepiscopum, quod non credat, se ita scripsisse ad Episcopum Conuentrenſem; cum secundum stylum Curie addi, vel si non addatur, intelligi debeat conditio, (*si preces veritate nitantur*) Quare mandat Archiepiscopo, vt si in literis scriptum esse reperiat, quod Franciscus absolutè & sine causæ cognitione restitui debeat, nullam insuper in literis mentionem factam prioris rescripti à Guilielmo impetrati ad Episcopum Conuentrenſem, prius latam eiusdem Episcopi sententiam confirmet, & Franciscum ad Sedem Apostolicam cum literis accedere compellat.

SUMMARIVM.

1. In rescripto ad instantiam partis dato semper inest, vel subintelligitur clausula: si preces veritate nitantur.
2. Non est tamen illa substantialis rescripto iustitia, ita vt per se illud reddat irritum, nisi causam definias. Est autem substantialis dispensationibus rescriptis gratia.

3. Eadem clausula necessario in omni rescripto aut mandato Principis, etiam pœnali, & sine clausula iustificatoriæ promanante subintelligenda est.
4. Rescriptum iustitia, quod est contrarium iuri communi, & stylo Curie, de obreptione & falsitate susceptum est.

NOTANDVM I. In rescripto dato ad instantiam siue petitionem partis, etsi non exprimatur, subintelligi tamen clausula debet, *si preces veritate nitantur*. Consentit l. vn. C. de diuers. rescriptis. Quare notat Rebuffus in praxi benefic. p. 1. tit. de rescript. gratiæ & iustitiæ; secundum forum canonicum, clausulam ordinariè apponi solitam, etsi non exprimatur, subintelligi debere: sed expiendum esse; Nisi ius, vel stylus Curie, qui pro lege habetur, expressionem clausulæ alicuius tanquam necessariam postulet: tunc enim pertinebit ad formam rescripti; sine forma autem res non subsistit. Quare regula illa, quod *tacitum expresso equiparatur*, seu *taciti & expressi eadem vis est*, limitari debet; nisi expressio requiratur, tanquam forma rei, prout patet etiam in expressione verborum in Sacramentis.

Corollarium. Si Aduersarius, contra quem rescriptum impetratum est, neget, vera esse quæ in eo continentur, probatio impetranti incumbit. Debet autem ea omnia probare, quæ pertinent ad fundandam intentionem seu petitionem suam, siue, sine quibus Princeps petitioni non annuisset, prout hinc Baldus significat n. 7. Felin. n. 27. Idque procedit etiam in beneficialibus: Exempli causa, si aliquis à Pontifice petat sibi ex alterius beneficio, tanquam re ditibus abundante, pensionem assignari, & pars, quæ possidet beneficium, neget abundantem esse, seu opus pensionis sustinere posse, petenti probatio incumbit.

QVÆRUNT Interpretes, vtrum clausula hæc, siue conditio (siue expressa, siue subintellec-ta) sit *sine qua non*, seu substantialis rescripto, ita vt per se irritum censi debeat, si preces veritate non nitantur? Responso est negatiua, vt videre est apud Felin. h. c. n. 6. Bal-

6. Baldum in c. super literis n. 19. hoc tit. & fumitur ex l. 2. C. si contra ius, &c. Ratio est; quia clausula non apponitur ad fundandam seu inchoandam Iudicis, cui causa committitur, iurisdictionem; sed ad instruendum illum, quomodo secundum iustitiam procedere debeat. Sed alia ratio est de dispensationibus, aliisque gratiæ rescriptis: ea enim, si per obreptionem obtenta sint, siue narrata, ex quibus Princeps ad concedendum motus fuit, veritate destituta sint, iure ipso irrita sunt, vt proinde Commissarius seu Executor secundum ea operari non possit, iuxta l. 2. C. si contra ius, & docui in Theol. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 17. & dicendum erit infra in c. ad aures 8. c. constitutus 19. hoc tit. Quamobrem eadem ratione rescripta iustitiæ, per obreptionem emanantia, si non causam præparent, iudicemque instruant, sed causam definiant, ac terminent, ipso iure, & non tantum ope exceptionis, irrita existunt, prout bene annotauit Baldus in l. 1. num. 2. C. de collat. deteg. & sequitur Iason in l. 2. n. 22. C. si contra ius, &c.

3. His addendum; Clausulam, si preces veritate nitantur, necessariò in omni Principis rescripto aut mandato, etiam pœnali, & sine clausula iustificatoria, vti vocant, promanante subintelligendam esse: vt proinde Reus per rescriptum damnatus, tamen citatus sit duntaxat ad videndum se incidisse in pœnam v. g. banni, semper tamen excipere possit de obreptione; adeoque mandati vim per oppositionem falsitatis elidere, pœnamque euadere, vt videre licet apud Ancharan. confil. 240. Andr. Gaill lib. 1. obseru. 15. num. 2. Ratio verò est; quia defensio contra falsitatem ac mendacium, cuilibet iure naturali permessa est; & ideo à Principe per rescriptum tolli non potest; quare nec sublatum vnquam censetur, quacunque forma aut modo conceptum sit.

4. NOTANDUM II. Rescriptum iustitiæ, quod contrarium est iuri communi, & stylo Curie (quale erat illud, vt Commissarius absque causæ cognitione procederet) de obreptione, ac falsitate suspectum esse debet: Quare Commissarius secundum formam ta-

lis rescripti procedere non debet: donec Princeps certior factus, aliud rescribat, vt fumitur etiam ex l. vlt. Cod. de precibus Imperatori offerendis, & habetur apud Gregor. I. Pontificem, lib. 8. indict. 3. epist. 32. ad Episcopum Tauromitanum: *Si aliter se veritas, quam nobis insinuatam est, fortassis habuerit, fraternitatis vestra subtiliter scripta nos instruant, vt quid sciendum sit, nostris iterum discurrentibus epistolis, agnoscatis.* Sed & pœnam meretur mendax impetrator, seu rescripti præsentator; Et eapropter, sicuti hinc habetur, si quis rescriptum afferat alienum à ratione & stylo communi Curie, ad Curiam, vnà cum rescripto, tanquam de falsitate ac deceptione suspectus, remitti debet. Ita Imola hinc num. 3. Abb. nu. 4. & constat ex c. si quando 5. hoc tit.

Videri etiam possunt, quæ dicam in c. inter cæteras 4. hoc tit.

CAPITVLVM III. Cæterum.

SVMMARIVM.

1. Delegatio Iudicis per primum rescriptum non tollitur per secundum, nisi de primo fiat mentio.
2. Processus tamen à Iudice posterius delegato institutus validus est, si nihil à parte excipiat contra rescriptum posterius.
3. Si prior impetrans suo rescripto renuntiet; tunc procedi potest secundum rescriptum posterius.
4. Rescriptum tamen iustitiæ ipso iure irritum est, si accessorium sit rescripto gratiæ obtento per obreptionem.
5. Si in posteriore rescripto mentio fiat prioris, censetur Papa causam à prioribus iudicibus auocare.
6. Et si clarè constet, mentem Papæ fuisse, tempore datarum literarum auocare a-ctā ab eo tempore iudicis delegati, inualida sunt.
7. Modus ordinarius & consuetus reuocandi iurisdictionem delegatam est, vt reuocatio vim autē non habeat, quam inno-

*tuit delegato per literarum auocato-
riarum auocationem.*

2. *Rescriptum ad Iudices viriusque par-
tis consensu impetratum, non valet se-
cundum ad alios iudices impetratum
per alteram partem; nullâ mentione
factâ primi. & impetrans ad expensas
condemmandus est.*

IN hoc c. tria respondet Alexander III.
Papa: Primum. Si Sede Aposto-
lica literas impetrauerit, quibus causa Iudicibus delegata sit; postea verò eius aduer-
sarius alias literas ab eadem Sede impetret,
in quibus eadem causa alijs Iudicibus com-
mittatur; posterius istud rescriptum, si nula
in eo mentio fiat prioris rescripti, non
obtinet firmitatem: quare prioris iudices,
non obstante posteriore rescripto, ad deci-
sionem causæ procedere possunt.

DUBIUM verò est; Num posterius res-
scriptum ipso iure irritum existat, an verò
ope exceptionis; ita, vt si nihil à parte ex-
cipiatur contra rescriptum, processus insti-
tutus à Iudicibus posterius delegatis vali-
dus censeatur? Responderi debet, validum
esse, ex doctrina Innocentij. & aliorum com-
muni apud Abb. hîc n. 5. contra Tancredum
apud Ioan. Andr. hîc n. 7. Quòd rescriptum
iustitiæ, obtentum per obreptionem, non
antè irritum, quàm per exceptionem elida-
tur, vt constat ex c. si autem 9. c. plerum-
que 23. hoc tit. c. vt debitus 59. de appellat.

3. Corollarium. Si prior impetrans rescri-
pto suo seu expressè, seu tacitè renunciet,
procedi potest secundum rescriptum poste-
rius, quod tacitè veritate, seu nullâ factâ
mentionem prioris, emanauit; quippe quod
ipso iure validam est, donec ab aduersario
infringatur.

4. Bene tamen hîc Abbas num. 6. limitat,
Rescriptum iustitiæ ipso iure irritum esse,
si accessorium sit rescripto gratiæ obten-
to per obreptionem, quia ruente princi-
pali, ruit etiam accessorium; cum accidens
non possit subsistere sine fundamento. Ex-
empli causa: Sempronius beneficium paro-
chiale obreptitiè impetrauit à Papa: Is ex-
eoutorem deputauit Officialem Ecclesiæ Au-

gustanæ. Rescriptum istud licet iustitiæ sit,
tamen ipso iure irritum censei debet, vt
colligitur ex c. constitutus 19. & caudien-
tiam 31. hoc tit.

Alterum dictum. Si in posteriore rescri-
pto mentio fiat prioris rescripti seu factæ
commissiois, censeatur Papa causam à prio-
ribus iudicibus auocare. Sed dubium est; si
in hoc casu Iudices priores, permittente po-
steriore impetrante, procedant secundum
rescriptum prius datum, vtrum processus
valeat? Responderetur, cum Ioann. Andr. hîc
n. 7. inspiciendum esse; Num mens Ponti-
ficis fuerit, absolute reuocare priorem com-
missionem; Tunc non valet processus, ob
defectum iurisdictionis: An verò reuocatio
facta sit in gratiâ posterioris postulantis: Is
enim fauori suo renūciare potest, & permit-
tere aut cōsentire, vt causa secundum priores
literas apud prius datos Iudices agitur.

QVÆSTIO est; Si Papa alijsue Prin-
ceps causam alicui Iudici commissam, ab eo
auocet, vel vt ipsemet cognoscat, vel vt alijs
committat, vtrum statim ac secundæ, seu
auocatoriæ literæ datæ sunt; an verò post-
ea & quando, iurisdictione à priore iudice ab-
lata censei debeat? Resp. & Dico I, Si cla-
rè appareat, mentem Papæ fuisse, statim,
seu tempore datarum literarum auocare;
vt quia in literis clausula irritans continet-
ur, si quid ex eo tempore actū fuerit, tunc
non valebit, quod à delegato actum fuerit, ob
iurisdictionis defectum. Ita docet Abb. hîc
n. 10. & in c. cum M. n. 33. de constitut. in c.
audita n. 13. de concess. præbendæ in 6. Auf-
frerius in Capellæ Tholos. q. 481. n. 4. Fel-
lin. hîc n. 18. Nam hoc in casu adest talis
reuocandi iurisdictionem voluntas, vt ex
verbis manifestum est; Atque ita reuocan-
di potestas: Cum enim iurisdictione à dele-
gato Iudice, per mortem delegantis, ipso iure
seu lege, statim reuocata censeatur, si res
integra sit, c. relatum 19. c. gratum 20. de off.
delegati (quæ est tacita reuocatio iurisdic-
tionis delegatæ per legem introducta, l. mo-
re 5. ff. de iurisd. omn. Iudicum) multo ma-
gis locum habebit reuocatio iurisdictionis
expressa, facta ab homine, seu Principe; &
quidem

quidem siue res integra sit, siue non: pendet enim id ex voluntate Principis. Non tamen decet, eiusmodi auocationes fieri cum aliorum præiudicio, & iudiciorum perturbatione; præterquam ex causa, v.g. in pœnam malè procedentis, aut iudicantis.

7 Dico II. Ordinarius & consuetus modus reuocandi iurisdictionem delegatam iste est, vt reuocatio antè vim non habeat, quàm delegato innotuit per literarum auocatoriarum præsentationem. Sumitur ex c. cum contingat 24. hoc tit. & docet Anton. de Butrio in cit. c. audita n. 14. Abb. cit. n. 13, & alij, quos refert & sequitur Thom. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 33. n. 11. & 12. disp. 36. n. 9. & videri potest Suarez lib. 8. de leg. cap. vlt. & quæ docui lib. 1. moral. Theol. cap. 23. n. 28. Eodémque modo iurisdictione, seu in causa procedendi potestas Iudici delegato antè non acquiritur, quàm literæ ipsi præsentatæ sint, c. super eo 12. de appellat. Quare Felin. ex recepta sententia hęc ait n. 11. *Nec conferri, nec auferri iurisdictionem ante literas presentatas;* tametsi de datis literis delegatus aliunde notitiam acceperit. Ratio dari debet, quia hęc est congruentior cum dandæ, tum auferendæ iurisdictionis modus.

Dico III. Si literæ reuocatorie iurisdictionis à prioribus Iudicibus ad instantiam partis emanarunt, tacitè ipsis conditio inesse censetur, dummodò pars impetrans ijs vtatur, prout colligitur ex dictis c. præced. & tradit ex communi Felin. hic n. 11. Auffrelius cit. loco num. 5. & 6. Abb. Panormit. in suprâ cit. c. audita n. 15.

8 Tertium dictum Pontificis: Si rescriptum ad Iudices vtriusque partis consensu impetratum fuerit, postea verò ab vna parte, altera nesciente, impetretur rescriptum ad alios Iudices, nullâ factâ mentione de priore rescripto communi consensu impetrato, posterior obreptitium censerit debet; Insuper impetrans ad expensas condemnari, quas Aduersarius eius propterea fecit. Ratio prioris partis est; Quòd Roman. Pontifex non solet Iudices ex communi partium voluntate datos, ad vnius partis petitionem

reuocare: sed neque solet Iudices dare, nisi ex partis vtriusque consensu, vt docet Abb. hic n. 11. Gl. in l. obseruandum 47. ff. de Iudicijs; Quamquam nihil etiam obstat, atque consuetum est, si non ambæ partes adfuerint, Iudicem delegare, quem pars vna petiuerit, quia alteri semper manet integrum eum allata causa recusare, c. causam 17. de offic. delegati, & docet ex communi Decius hic n. 10. Ratio posterioris partis est, quia dolosè impetrans literas ad alios Iudices, iniusta causa est expensarum, quas aduersarius facere cogitur accedendo, aut curatorem mittendo, si citatus sit: Ergo hoc ipsi datum compensare cogitur.

CAPITVLVM IV. Inter cæteras.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Eboracensis consuluit Alexandrum III. Papam; quid agendum, si Pontifex de duobus sub disiunctione inquiri mandauit: quorum vnum verum reperitur, & alterum falsum: Exempli causa vtrum Rector ecclesiæ ex sacerdote illegitimè genitus sit, vel curam ecclesiæ illegitimè acquisierit; &, si ita esse compererit, eo remoto, parochiam alteri conferat; Respondet Papa, satis esse, quòd alterutrum delegato compertum fiat, vt ad amotionem, & ad alterius promotionem deuenire debeat, Idémque in simili- bus casibus obseruandum esse.

SYMMARIVM.

1. Si Princeps mandat in rescripto de duobus inquiri alternatiuè, ad certum effectum consequendum, sufficit alterum delegato compertum fieri.
Ita in alternatiuis contractibus & promissionibus satis est alterutrum impleri à debitore, cuius est optio.
2. Interdum vocula alternatiua Aut, Vel, posita in obligatione aut mandato, non tribuit optionem, sed ordinem seruandum significat.

3. In

3. *In rescriptis iustitia, aut literis gratia subinde copulativa Et ponitur pro disiunctiva,*

NOTANDVM I. Si Princeps in ordine ad certum effectum mandet de duobus alternatiuè inquiri, sufficit alterum coram Commissario ostendi. Ratio est, quia ad veritatem enunciationis alternatiuæ satis est, si alterutra pars subsistat: sed ad veritatem copulatiuæ enunciationis vtriusque partis verificatio requiritur, §. penult. Instit. de hæred. instituendis.

Eademque doctrina etiam in contractibus & promissionibus locum habet, iuxta reg. 70. in 6. *In alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri.* Idque extenditur in l. penult. C. de condict. indebiti; si quis debitor duarum rerum sub disiunctione, vtramque per errorem soluerit, ratus videl. vtramque copulatiuè se promississe, optionem ei competere repetendi quam maluerit; sicuti & dandi optionem habere debebat.

In pœnis verò à lege, aut homine sub disiunctione ob crimen decretis, distinguunt hic Abb. n. 5. Felin. n. 7. Num verba ad reum dirigantur, v. g. *soluat centum aureos, aut exulet à ciuitate*; tum optio ipsi reo relinquatur: An verò ad Iudicem referantur, *puniatur centum aureis, vel exilio*; tum iudicis arbitrio res committitur. Et verò in dubio, præsumendum ad Iudicem referri: quandoquidem pro varietate personarum, & circumstantiarum, varia pœna decerni solet; idque arbitrari ad Iudicem propriè pertinet, l. respiciendum. 11. l. aut facta. 16. ff. de pœnis.

2. Porro pro maiore intellectu, duas bonas doctrinas afferre libet ex Gl. super cit. reg. 70. Prima, Interdum siue ex loquendi modo, siue ex materia subiecta apparet, voculam alternatiuam *Aur. Vel.* positam in obligatione aut mandato, non optionem tribuere, sed ordinem seruandum significare. Cuius rei exemplum extat in l. cum pater 79. §. à te peto ff. de legatis 2. Item, si dux belli militi dicat, *agere ad hostem, cumque*

repelle; aut fuge; sensus est, si repellere non possis, fuge; Item si lex aut Superior Iudici præcipiat, vt criminofum aureis centum mulctet, aut flagellet; videtur significari, pecunijs mulctandum esse; at verò in defectu, si pecunias soluere non possit, in corpore puniendum.

Altera. In rescriptis iustitiæ, ac literis gratiæ seu dispensationibus quandoque copulativa *Et ponitur pro disiunctiva* l. sæpe 53. ff. de verb. significat. Si videl. spectatâ materiâ subiectâ, ac intentione & consuetudine mandantis, vnum ex pluribus membris seu partibus sufficit ad propositum effectum aliquem. Exemplum est in c. 2. supra hoc tit. Si Papa mandet Commissario, vt, si ipsi constiterit beneficiarium conuictum esse de periurio, & beneficio renunciâsse (vtrumque enim horum propositum erat Pontifici) reum inde remoueat, atque alteri conferat; videtur hoc in casu sufficere, si pars altera verificata sit. Quare Gl. ibidem ait ver. & perpetuò: *Si alterum per se sufficit ad remotionem alicuius, sufficit si alterum probetur; licet copulatiuè ea duo mandentur.* Et paulò post: *Nunquam fuit intentio Dom. Papa, vt vtrumque necesse sit probare.* Limitat verò ibidem: *Nisi expressè mandetur, quòd vtrumque probari debet; Vel si aduersarius seu impetrans ad vtrumque probandum se expressè obligarit, arg. c. licet 9. vbi id notat Gl. ver. se adstrinxit, de probat. Videri potest Rebuffus de rescript. & literis regijs in præfat. num. 57. & seqq.*

Eandem porro doctrinam locum etiam habere in quibuscunque gratiæ commissio-nibus, & dispensationibus, annotatur in dec. 7. Rotæ Rom. in nouis: *Licet plura Capitula in commissione obienta narrentur, quorum aliqua sunt falsa, aliqua vera; si ex veris potest sequi effectus & conclusio, valet commissio.* Et Nauarr. in consil. 7. hoc tit. edit. 2. *Quando in aliquo libello, commissione vel privilegio, ponuntur multa causa, etiam copulatiuè, que non omnes sunt de iure necessaria ad operandum aliquem effectum, sufficit, vt vna illarum, qua illum operari potest*

est, si vera. Videri etiam potest Felin. in c. 2. n. 21, & seqq. hoc tit.

NOTANDUM II. Si Princeps Iudici formam secundum iustitiam procedendi in vna causa præscribat, eandem quoque in alijs similibus obseruare debet. Ita hic, & in l. non possunt 11. ff. de legibus. Dixi de hac re in c. 3. de Constit.

CAPITVLVM V.

Si quando.

PARAPHRASIS.

- 1 Alexander III. Papa scribit ad Rauennat. Archiepiscopum, si quando literæ Papales ad eum dirigantur, quæ ab æquitatis ratione quippiam alienum continent, quod turbari ideo non debeat: sed negotij, pro quo scribitur, naturam & qualitatem diligenter considerans, aut mandatum impleat; aut quare implere non possit, causam rationabilem per literas proponat. Neque enim Pontifex ægrè fert, ea mandata non impleri, quæ obreptitiè seu per prauam suggestionem emanarunt.

SUMMARIUM.

1. *Is, ad quem dirigitur rescriptum Papæ, ei parere debet, vel rationabilem causam assignare, cur parere non possit.*
2. *Si Princeps aliquid insolitum, à ratione alienum, vel contra publicam vtilitatem committat, aut mandet, non est executioni mandandum, sed noua declaratio & noua iussio petenda. Idem iuris est in vniuersalibus legibus.*
3. *Principi mandanti quod est contra conscientiam, aut licite impleri non potest, parendū non est: neq; Officiario quamuis constituto cum plenitudine potestatis v.g. Legato Generali belli, si mandet, quod respubl. manifestè noxium, aut intentioni Principis contrarium.*
4. *Princeps ægrè ferre non potest, si re-*

scriptum eius obreptitium tanquam iniquum, & à ratione alienum arguantur.

NOTANDUM I. Si Princeps aliquid insolitum, à recta ratione alienum, aut contra publicam vtilitatem committat, aut mandet, non est executioni mandandum, sed declaratio & secunda iussio petenda. Ita etiam habetur in Authent. Vt nulli Iudicum. §. Et hoc verò iubemus, collat. 9. & c. cum teneamur 6. de præb. vbi dicitur, non esse exequendum mandatum, si id sine scandalo fieri non possit. Videri potest Inno. in c. inquisitioni, de sent. excomm. & S. August. ferm. 6. de verb. Domini, relatus in c. Qui resistit 97. causa 11. q. 3. Gl. in l. 3. ver. Iudices, C. Si contra ius & c. Non timeant miserari Prælati, si veritatem sequantur (arguendo falsitatem) cum Deo & Papa per hoc placeant. Baldus in l. vlt. n. 5. C. Sententiam rescindi non posse, vbi ait, *Clausulam ex certa scientia non operari in his, quæ Princeps presumitur ignorare, vt sunt facta, commercia & bonæ consuetudines locorum.*

Eandem porrò doctrinam non malè existimat Suarez lib. 4. de legib. cap. 16. n. 7. locum etiam habere posse in vniuersalibus Pontificijs legibus: Si videl. lex pro vniuersa Ecclesia, & tota v. g. Europa edita, vni regno aut prouinciæ, ob speciales causas à moribus hominum nimis discrepare, aut seruatu difficillima videatur; expectandum esse, donec Pontifex informatus, iterum rescribat. Imò, addit Suarez, si clarum, seu indubitatum sit, legem nouiter editam ob speciales causas, & consuetudines loci, nequaquam conuenientem esse prouinciæ, obligationem eius per se cessare: Eò quòd Pontifex locorum specialia ignorare censetur c. 1. de Constit. in 6. Et non velle aliquid insolitum aut abhorrens à fidelium moribus statuere, aut præcipere. Vide quæ dixi lib. 1. moral. Theol. tr. 4. cap. 3. n. vlt.

QUESTIO est: Si Papa clerico, qui notoriè indignus est, mandet beneficium conferri, vtrum Commissarius parere debeat? Respondeo cum Abbat. hic n. 3. Ioann. Andr.

Andr. in c. significauit, de off. Ordin. Capella Tholof. decif. 489. Vel manifesta est mens Pontificis, volentis vt huic indigno conferratur, vel non manifesta: Si hoc posterius, superfederi debet, donec Pontifex consultus iterum rescribat. Sin autem prius, iterum distinguendum, num in inhabilitate dispensare possit Pontifex: tunc parendum est mandato, vti colligitur ex cap. 2. de schismat.

3 An dispensare non possit, idque vel quia absolute loquendo casus indispensabilis est, v. g. vt furioso, seu amenti beneficium conferratur; vel consideratis circumstantiis loci, &c. quia graue scandalum, & perturbatio certo orietur, vt sine peccato dispensatio non possit executioni mandari, tunc parendum non est, prout supra dixi, & tradunt Anton. de Butrio & Imola in cit. cap. significauit, in fine, Rebuff. de rescript. & liter. regis art. 1. Gloss. 4. Robertus Maranta in qq. legal. disp. 1. num. 19. quia si Princeps aliquid iubet, quod est contra conscientiam, aut licite impleri non potest, non est ei parendum. Pertinet huc, quod ex sancto Augustino ferm. 6. de verbis Domini refertur in c. Qui resistit 97. causa 11. quaest. 2. *Sed quid? si illud iubeat Princeps, quod non debeas facere? Hic sane contemne potestatem humanam, vt timeas potestatem diuinam.*

Sed & id obiter aduertendum, quod in eodem loco subiungit Augustinus: *si aliquid Proconsul iubeat, & aliud Imperator, numquid dubitatur, illo contempto, illi esse seruendum?* Itaque acceptandum non est mandatum, nec exequendum, quamuis cum plenitudine potestatis constituti Officiarij, v. g. constituti Legati generalis belli, si quippiam mandet, quod Reipubl. manifeste noxium, aut intentioni Principis contrarium est; quia potestatis plenitudo ad talia se nequaquam extendit: Interea tamen iussus seu mandatum superioris male obtemperantem aliquantulum excusat, vt in externo foro mitius puniendus sit, iuxta reg. Quod quis 24. & quae ibi congerit Glossa in 6.

Adde his doctrinam Ioann. Andr. Anton.

& Imolae in cit. cap. significauit, in fine, Felin. hic num. 6. & 7. quod inferior Principe dispensare in aliqua inhabilitate non possit, nisi praemissa cognitione causae: At vero Princeps ipse, v. g. Papa, tollere arbitrato suo potest inhabilitatem, ex iure positio ortam: ideoque sufficit, quod ex rescripto appareat, auferre voluisse, vt si dicatur: Titio, non obstante quod ex sacerdote illegitime natus sit, parochia conferratur: Eito enim, quod Princeps iusta causa motus non fuerit ad dispensandum, seu habilitandum, tamen impedimentum ablatum est: sed secus est in inferiore, cui concessum non est in lege superioris etiam valide dispensare, nisi ex legitima causa: Non autem censetur ea adesse, nisi eius cognitio fuerit praemissa. Videri potest Franciscus Suarez lib. 8. cap. 13. num. 11. & seqq. & Theolog. moral. lib. 1. tract. 4. cap. 22. quaest. 1.

NOTANDUM II. Princeps aegre ferre non potest, si rescriptum aut mandatum ex Curia eius per obreptionem emanans, tanquam iniquum, aut a recta ratione alienum, arguatur. Ita hic Pontifex ait: *Patienter sustinebimus, si non feceris, quod prauum nobis fuerit insinuatione suggestum.* Quandoquidem id frequenter accidit, vt Principi multitudine negotiorum occupato, falsa pro veris suggerantur, aut ab ipso non satis cognita scribantur & mandentur, sicuti Impp. testantur in l. 1. Cod. de petit. bonorum sublati lib. 10. *Quoniam plerumque in nonnullis causis inuerecunda perentium inhiatione constringimur, vt etiam non concedenda tribuamus, &c.* Ideo dum eiusmodi obreptitia rescripta non acceptantur, non Principis potestas (qua de disputare sacrilegij instar esse censetur in l. disputare C. de crimine sacrilegij) in debium vocatur, sed scientia & voluntas. Imò vero potestas & auctoritas Principis defenditur, quando id, quod legitime velle non potuit, ne voluisse quidem, neque sciuisse, ostenditur. Videri potest Andreas Gail lib. 2. obseru. 58.

K

Vdair.

Vdalricus Zasius tom. 6. operum lib. 2. conf.
10. fol. 130. edit. Francofurt.

CAPITVLVM VI.

Cùm Ordinem.

PARAPHRASIS.

- 1 Si contra Cisterciensis Ordinis Professos (quippe quos Sedes Apostolica singulari favore prosequitur) rescriptum aliquod super decimis, vel aliis rebus, in quibus specialiter priuilegiati sunt, ab eadem Sede impetratum sit, in quo dicti Ordinis mentio non fiat, non tenentur Regulares ad illud respondere.

SUMMARIVM.

1. Cistercienses sunt priuilegiati, vt non possint ex rescripto Papa conueniri, nisi in eo mentio fiat de eorum Ordine.
2. Priuilegium à Principe concessum potest prescribere formam futuris rescriptis, ita vt ea forma non seruata rescriptum ipso iure sit irritum.
3. Rescriptum iustitia, vel ad lites, valet, etsi in eo mentio non fiat priuilegij eis competentis, contra quos illud emanat, non item rescriptum gratia.
4. Priuilegia Regularium in Corpore iuris non contenta per clausulam generalem Non obstantibus, &c. non reuocantur, secus est, si in corpore iuris contineantur; ad horum enim derogationem addi debet specifica eorum mentio.
5. Priuilegiis ysdem derogatur per clausulam generalem reuocatoriā, licet ea data sint cum clausula, vt nullā contrariā constitutione reuocata censeantur, nisi eorum specialis mentio fiat.
6. Excipiuntur ea, quae cum tali derogatoriā clausula in Corpore Iuris extant; haec enim per legem generalem non reuocantur, nisi specialis eorum mentio & derogatio fiat.
7. Quae per modum contractus priuilegia concessa sunt per clausulam praedictam

- generalem, non reuocantur.
8. Exempti in iudicium vocati non tenentur comparere ad allegandum priuilegium, si in Corpore iuris contineatur.
 9. Episcopus notorie existens in possessione iurisdictionis erga Clericos, aut Regulares intra suam diocesim habitantes, potest contra eos procedere, non attentis eorum, quae offerunt priuilegiis & probationibus, imò nec appellatione.
 10. Si autem dubium sit circa possessionem iurisdictionis, potest extraiudicialiter contra exemptos procedere, etiam censuras comminando: illi autem recusare & appellare ad Pontificem possunt.
 11. Contra Monasterium notorie in possessione exemptionis existens, Episcopus procedere non potest, potest tamen petere exhibitionem priuilegij, aut probationem legitime praescriptionis; interea autem usque ad cognitionem causae in possessione relinquendum est.
 12. Existens intra diocesim, qui de iure communi exempti non sunt, dicuntur autem se esse exemptos ex priuilegio aut praescriptione, in possessione exemptionis quidem sunt, ab Ordinario tamen citari comparere debent, & priuilegium edere, aut de praescriptione docere; si neutrum horum praestare possint, uti potest Ordinarius iurisdictione suā contra illos.

NOTANDVM II. Priuilegium à Principe concessum potest prescribere formam futuris rescriptis, ita, vt si ea forma seruata non sit, rescriptum ipso iure irritum existat. Ita Anton. hic n. 2. Abb. n. 2. Decius n. 3. Exemplum est hic: Si Ordo aliquis priuilegium habeat, vt per rescriptum conueniri non possit, nisi expressum sit, quod Religiosi sint eius Ordinis v. g. Cisterciensium; hoc in casu si v. g. Parochus aliquis impetret à Sede Apostolica, vt Monasterium S. Stephani intra parochiam suam situm, decimas ex agris suis prestare cogatur, subreptitium, imò irritum erit rescriptum, si in eo expressum non sit, Monasterium esse Ordinis Cisterciensium.

Sed **QVÆRITVR** hic primò, Num iuxta casum.

casum huius cap. necesse sit mentionem fieri priuilegij, v. g. immunitatis à decimis eis competentis, contra quos rescriptam emanat? Resp. cum Baldo hinc num. 16. Boich n. 1. Vel est rescriptum iustitiæ seu ad lites, tum necesse non est eius immunitatis mentionem fieri, sicuti neque aliarum exceptionum peremptoriarum; cum in progressu lites semper opponi possint, vti constat ex cap. 1. de lites contest. in 6. & bene hinc explicat Abb. n. 3. Vel est rescriptum gratiæ seu indulgentiæ; tum opus est eius mentionem fieri, alioquin subreptitium censetur, c. Inter 20. de sent. & re iudic.

4 QVÆRITVR secundò; Num sufficiat, si in rescripto contineatur clausula derogatoria priuilegij generalis. Exempli causa; Si in rescripto Papali mandatum sit, vt à Commissario seu delegato Iudice visitari & in iudicium vocari possint Regulares, cuiuscunque ij Ordinis ac Religionis sint, quantumcunque, etiam specialiter priuilegiati, aut exempti; num vi eius rescripti visitari aut conueniri queant Regulares, qui speciale priuilegium acceperunt, vt per rescripta Apostolica conueniri non debeant, nisi vel Ordinis, vel accepti priuilegij mentio specialis fiat?

Respondeo & Dico I. Si eiusmodi priuilegium Regularibus concessum in corpore iuris non contineatur, cenferi debet ei derogatum per clausulam generalem, *Non obstantibus quibuscunque, qualitercunque, conceptis priuilegiis.* Ita docet Abb. in c. cum instantia n. 5. de cens. Felin. in c. nonnulli n. 6. hoc tit. Syl. ver. priuilegium q. 10. dicto 6. Suar. lib. 5. de legibus disp. 38. n. 2. Ioann. Azortom. 1. moral. Instit. lib. 5. cap. 22. q. 12. Ratio est: Quia Princeps neque à seipso, neque ab antecessore suo obligari potuit ad certam formam rescripti seruandam; multò minùs vt datum priuilegium auferre non posset, si vellet; velle autem auferre, sufficenter ex ea generali reuocatoria clausula colligitur. Idque magis confirmabitur ex 2. resp.

Dico itaque secundò; Si priuilegium huiusmodi in corpore iuris insertum sit, non derogatur ei per clausulam generalem, sed opus est specifica mentio seu derogatio priuilegij,

secundùm formam, quæ in eo exigitur. Ita ex communi docet Felinus in cit. c. nonnulli n. 9. Suarez cit. cap. 38. num. 1. & docui lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 23. num. 26. vbi duas rationes attuli: I. Quia lex generalis non tollit specialem, si ob peculiarem rationem excepta videri possit: quia species derogat generi, sicuti supra etiam docui in c. 1. hoc tit. II. Quia Princeps iura omnia, adeoque etiam priuilegia, si in iuris corpore continentur, nosse censetur cap. 1. de Constit. in 6. Et ideo si eis, quæ specificam derogationem requirunt, derogare vellet, in specie mentionem faceret: At verò quæ non sunt in iuris corpore posita, cum singula seu in specie ignoret, non potest ea specificè exprimere: & ideo ad derogandum sufficere debet clausula generalis, vti supra dixi.

Porro quod de rescriptis dictum est, idem quoque sentiendum de legibus, & sacris canonibus: Si videlicet priuilegium datum sit Regularibus v. g. cum clausula, vt nulla contraria constitutione reuocatum censeat, nisi eius mentio specialis fiat, nihilominus reuocatum cenferi debet per clausulam reuocatoriam generalem, *Non obstantibus quibuscunque, &c. priuilegiis,* prout inter alios docet Francisc. Suarez in cit. cap. 38. num. 1. E. man. Rodriq. tom. 2. qq. regul. quæst. 2. art. 7. vbi ait, *Multa Religiones, præcipuè mendicantes, huiusmodi habent clausulam derogatoriam constitutionum subsequentium, nisi priuilegiorum mentio fiat, & tamen inuenio multa earum priuilegia reuocari in Concil. Trident. in quo nulla de ipsis Religionibus mentio fit.* Sed excipi hinc debet: Nisi priuilegium cum huiusmodi derogatoria clausula in corpore iuris extet; tum per generalem legem non debet cenferi sublatum, aut derogatum, nisi specialis eius mentio ac derogatio fiat, prout Suarez loco citato docet, & Glos. celebris in Auth. Qua in prouincia, ver. illic omni priuilegio cessante, C. Vbi de crimine agi oportet. Et alia Glossa in l. 3. ver. pragmatica C. de silentiariis lib. 12. vbi accommodatum huic rei exemplum habetur: Decurionibus enim & silentiariis data priuilegia ibi à Valentiniano Imperatore confir-

mantur a deo, ut nulla pragmatica sanctione eis derogatum censeri debeat. Quamobrem etiam si generale statutum postea edatur in contrarium, non facta expressa derogatione eius legis, non censentur iij. comprehensi.

Addit verò Suarez citato loco num. 3. aliam exceptionem; Quod per clausulam generalem non obstantem quocumque privilegio, &c. censi non debent sublata aut derogata ea privilegia, quæ per modum contractus concessa sunt, v. g. in remunerationem meritorum, cum ea non nisi ex graui causa ad bonum publicum pertinente iuste tolli, seu reuocari possint; & ideo huiusmodi reuocatio in generali clausula non comprehenditur, sed opus est specifica expressa mentione, etiam si per modum contractus fuerint concessa. Quamuis neque hæc clausula, ex plenitudine potestatis. proueniens sufficiet, si privilegia data sint non subditis, v. g. clericis, posteaquam ea acceptata, & ius acquisitum privilegiatis. Cum plenitudo potestatis ad derogandum iuribus non subditorum se non extendat, prout etiam dixi in c. Quæ in ecclesiarum 7. de Constit. & videri possunt, quæ docuit lib. 1. Th. mor. tr. 4. c. 23. n. 29;

8. NOTANDUM II. Si privilegiatus seu exemptus, cuius privilegium exemptionis in corpore iuris continetur, ad iudicium vocetur, respondere non tenetur; cum exceptione declinatoria notoriè tutus sit. Ita colligitur ex textu huius c. in fine.

Existimat verò Glöf. hic ver. *nulla facta mentione*, in fine, quod in casu huius c. *Monachi debeant venire privilegium suum allegaturi*; alioquin contra eos procedi possit, argum. l. si quis ex aliena 5. ff. de iudic. quam doctrinam examinat hic Felinus num. 8. Sed contrarium. rectius docet hic Abbas num. 5. Necessarium non esse, ut exempti compareant ad allegandum privilegium, si id in corpore iuris contineatur, argum. l. 3. ff. de iudicis. Quam sententiam potius confirmat cit. l. si quis ex aliena; Nam causa, cur ex aliena iurisdictione citatus ad Prætores, comparere debeat, ibi redditur; Prætoris enim est æstimare, an sua sit iurisdictione; Vbi Glossa explicans ait: *Scilicet cum dubium sit, aliàs*

non. Nullum autem potest esse dubium, si exemptio in corpore iuris contineatur; id eoque nec cognitioni, siue examini vllus locus relinquitur, prout mox iterum dicam.

Quæstio enim hoc in loco tractari potest, si Episcopus seu Ordinarius loci contra Clericos aut Religiosos intra diocesin suam habitantes procedere, aut eos visitare velit; ij autem exemptos se asserant; quid de iure agere concessum sit Ordinario loci? Respondeo ex doctrina Abb. in c. venerabili, de censibus. Rota Rom. apud Ascan. Tamburinium de iure Abbatum tom. 1. disp. 15. q. 8. & Dico I. Si Episcopus sit in possessione iurisdictionis erga Regulares v. g. & hoc constet, tum non attentis quæ offerunt privilegiis, aliisue probationibus, procedere potest ad manutenendam seu defendendam possessionem iurisdictionis suæ: sed neque appellationem in hoc casu recipere tenetur, quia *procedit tunc ut pater, non ut iudex.* ait. Abb. num. 3.

Dico II. Si dubium sit, num. Episcopus in possessione iurisdictionis existat contra exemptos, potest similiter extrajudicialiter procedere, etiam censuras comminando; Illi autem recusare, & appellare ad Pontificem possunt; Ita ut si post appellationem censurata sit, ea pendeat ex futuro euentu, si videlicet Pontifex cognouerit, iustum aut iniustum processum sententiamque fuisse. Ita post Innoc. in cit. c. venerabili, ibid. Abb. n. 3. vbi suadent, si allegantes exemptionem, ostendant privilegium suum, ut Episcopus illud cognoscat extrajudicialiter. Et Tamburinius nu. 3. referens Rotam Romanam, quod ad evitandam manutentionem Ordinarij, non sufficit exhibitio privilegij, nisi vterius adsit quasi possessio exemptionis, ut habetur in c. cum persens 7. de priuil. in 6. Et n. 5. *Eo ipso quod Ordinarius exercet iurisdictionem in vna parte sue diocesis, videtur constitui in quasi possessione exercendi quoad omnes, in quibus alter non habet particularem quasi possessionem.* Et eodem n. 5. *Per istam exhibitionem privilegij, quæ concernit petitionem, remaneret Episcopus priuatus sua quasi possessione, nisi eam manuteneret, ac defendere licitum esset,*

contra notata Abb. inc. r. n. r. Eutrio n. 2. Vt lite pendente, &c.

11 Dico III. Si Episcopus non sit in possessione iurisdictionis erga Monasterium v. g. sed illud in possessione exemptionis existat, atque de hoc constet; non potest Episcopus contra Regulares procedere, aut censuras comminari: Quia priuaret eos possessione, aut quasi possessione iuris sui. Potest tamen Episcopus petere, vt priuilegium exemptionis exhibeatur, aut de legitima præscriptione doceatur: interea verò dum res cognoscitur, in possessione relinquendi sunt, iuxta cit. cap. cum personæ, & docet Rota Rom. supra citata n. 7. Abb. in c. r. num. 4. Vt lite pendente &c. Syluest. ver. exemptio q. 6. Em. Rodr. tom. 2. regul. qq. q. 64. a. 7. & Angel. ver. exemptio, §. Vtrum pendente, quòd exemptus *pendente lite non est turbatus in possessione sua, etiamsi possideat contra ius commune: dummodo ex aliqua probatione, licet non sufficiente, ad finale intentum ipse iustificet possessionem suam.*

12 Dico IV. Tamen si ij, qui intra diocesim existentes exemptos se dicunt, ex priuilegio aut præscriptione in possessione exemptionis sint, tamen ab Ordinario seu Diocesano citati comparere debent, atque priuilegium edere, aut de præscriptione docere. Quòd si neutrum horum præstare possint, concessum est Episcopo iurisdictione sua contra illos vt, citato cap. cum personæ, in fine, & docet Syl. ver. exemptio q. 5. In dubio autem num priuilegium validum sit, aut saltem causam præscribendi præbeat, non potest Ordinarius de eo cognoscere, aut contra illos pronunciare, vel possessione spoliare, prout loco cit. tradit Rodriquez; rationem assignans; partim ne quis sit iudex in propria causa, contra l. Qui iurisdictioni 10. ff. de iurisd. omn. Iudicum; partim quia interpretatio priuilegiorum Apostolicarum eidem Sedi reservatur.

Aduertendum autem hoc loco: Hæc, quæ ex cit. cap. cum personæ, allata sunt, de ijs tantum intelligi debere, qui priuilegio aut præscriptione legitima ab Ordinario seu Diocesano exemptos se profitentur: non

autem de ijs, qui iure communi exempti sunt. Idque inde probatur, quia processus ille aduersus exemptos, quo compelluntur suum priuilegium edere, inde prouenit, quòd *de iure communi, Ordinariorum inuentio sit fundata*, cit. c. cum personæ: Hæc autem ratio nequaquam locum habet erga iure communi exemptos: Cum enim species deroget generi, c. 1. de rescriptis; ideo si ex vna parte Ordinarij iurisdictione in omnes intra diocesim existetes, ex altera verò parte, quorundam exemptio ex communi iure nota sit, non potest dici Ordinarij iurisdictione erga hos fundata. Quamobrem rectè docuit Ioan. Andr. in reg. 27. in 6. Abb. super hoc c. n. 5. Imola ibid. n. 5. Decius n. 4. de rescript. Syl. loco cit. q. 8. Eman. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 36. a. 4. quòd Religiosi mendicantes, cum iure communi, omnibus noto, exempti sint, comparere non teneantur, ad allegandam aut ostendendam exemptionem suam. Quorum communis doctrina conciliari potest cum alijs DD. apud Felin. h. c. n. 8. quando aiunt, quòd exempti si super exemptione citentur, comparere & priuilegium allegare debeant, etiamsi notorium esse existimetur. Id enim verum est, si priuilegium in corpore iuris contentum non sit: Discrimen est, quòd huiusmodi priuilegij, cum sit instar iuris communis, allegatio aut exhibitio frustra petatur, non ita verò priuilegij in corpore iuris non contenti: cum id omnibus ita notum non sit, aut, si notorium esse dicatur, hoc ipsum allegari, atque de eo cognosci potest: cum in facto potius, quàm in iure consistat. Quam ipsam doctrinam legere potes apud Sebast. Sapiam super Abbate in cit. c. cum ordinem, lit. d.

CAPITVLVM VII.

Eam re.

PARAPHRASIS.

Vacante Sede Tornaciensi, Alexander III. scripsit ad Capitulum eiusdem Ecclesiæ pro Petro ex Iudaismo ad fidem Catholicam conuerso, mandans, vt ipsi Canonicatus in Ecclesia Tornaciensi confere-

tur. Sed quia ius conferendi beneficia ad solum Episcopum, non etiam Capitulum in ea Ecclesia pertinebat, ideo mandatum Papæ exequi non poterat. Cùm autem Archidiaconus pariter & Canonicus eius ecclesiæ Episcopus consecratus esset, Petrus ab ipso Canonicatum petiuit. Sed Episcopus se excusauit, quòd ipse à Sede Apostolica mandatum nullum accepisset. Hoc intellecto, Alexander III. rescribit, excusationem hanc inanem esse, cùm ex datâ literarum cognosci potuerit eas promanasse tempore Sedis vacantis, seu cùm nullus esset Episcopus. Quamobrè literæ missæ fuerunt ad Capitulum, tanquam in quo interim omnis rerum administratio resideret. Addit verò Pontifex, non ideo Petrum repudiandum esse, quia ex Iudæo genere ortus sit.

SUMMARYM.

1. *In rescriptis Principis, si dubitetur, an sint obreptitia, tempus datæ inspici debet.*
2. *Capitulum Cathedrale, vacante Sede, exequi potest mandata Apostolica Sedis, etsi eorum executio ad Episcopum propriè spectet.*
3. *Iudæus conuersus postquam constantiam probauit, ad Ordines & beneficia promoueri potest.*
4. *Si statutum foret in Ecclesia episcopali, vel regulari (vbi esse potest) vt nemo ex genere Iudæorum in ecclesiam, vt beneficiarius, aut in Monasterium recipiatur; Papa autem per rescriptum contrarium mandet, vt talis rescripti recipi non debet, si huic nulla mentio vel clausula statuti inserta sit.*

NOTANDVM I. Collatio beneficii ecclesiastici est gratuita concessio, siue gratia; ac veluti species quædam donationis, prout hîc appellatur.

NOTANDVM II. In rescriptis Principis, si dubitetur de eorû viribus, aut sintne obreptitia, tempus datæ inspici debet, sic

uti etiam habetur in c. constitutus 19. iun. Gl. hoc tit. ver. impetrâset. Item si agatur de capacitate Iudicis delegati, aut commissarij seu executoris, ad quem rescriptum directum est, cap. statutum 11. iun. Gl. ver. canonicis, hoc tit. in 6. & docet hîc Decius n. 5. fusè Boich n. 1.

NOTANDVM III. Capitulum cathedrale, vacante Sede, exequi potest mandata Apostolicæ Sedis, tametsi eorum executio ad Episcopum propriè spectet: Exemplum habemus hîc. Si vacet præbenda, cuius libera collatio ad Episcopum absque Capitulo pertinet, non potest eam conferre Capitulum Sede episcopali vacante, c. vn. Ne Sede vacante in 6. Attamen si Papa mandet eam conferri certæ personæ, exequi potest, imò debet Capitulum; propterea quòd eiusmodi collatio sit veluti necessaria: At verò in necessarijs præbendarum collationibus succedit Capitulum, vti colligitur ex c. 1. de institut. & tradit Nicol. Garcias p. 5. de beneficijs cap. 7. n. 51. Vt si ex fundatione certæ personæ, aut vni ex familia præbenda conferri debeat. Videri potest Innoc. hîc, Anton. de Butrio n. 24. Abb. n. 14.

Obijci potest, quòd Pontifex hîc dicit, Capitulum Pontificis mandatum exequi nõ potuisse. Responso colligitur ex textu; Ideo exequi non potuisse, quia cùm literæ præsentarentur, Episcopus nouiter electus confirmationem, quin & consecrationem acceperat: Notum autem est, Capitulum ex eo tempore, cùm Episcopus confirmatus est, episcopalia negotia exercere non posse. Et enim Capitulum administrat loco & vice Episcopi, dum Sedes vacat, c. his quæ 11. c. cùm olim 14. de maior. & obed. Superueniente autem principali cessat potestas administratoris seu vices gerentis; atque ad ipsum, Episcopum, inquam, confirmatum, statim deuoluitur. Eapropter ait hîc Pontifex, friuolam fuisse excusationem Tornacensis Episcopi, nullum se mandatum recepisse: Nam mandatum, cùm emanabat, non ad ipsum, qui nondum (vbi ex datâ literarum colligi potuit) administrationem gerebat, sed ad Capitulum pertinebat; ex quo etiam ipse vnus

Ad aures.

PARAPHRASIS.

Intellexerat Lucius III. Pontifex, quod Decani, Archidiaconi, Præcentores, & alij ecclesiasticis dignitatibus præditi, tacitâ dignitate seu personatu suo, atque simplici nomine se appellantes, literas super minoribus beneficijs à Sede Apostolica impetrarent: Eapropter rescribit Linconensi Episcopo, nolle se, vt eiusmodi literæ à personis, quæ pluribus redditibus abundant, contra pauperes clericos impetratæ vim obtineant.

SUMMARIVM.

1. Rescriptum impetratum à Papa rediditur obreptitium, si in eo tacetur dignitas aut personatus impetrantis.
2. Non item si impetratum sit ab Ordinario, cui nota qualitates impetrantis esse censentur, vel si aliàs certum sit aut verisimile, Papam aut alium Principem, etiam suppressâ qualitate & veritate, concessurum fuisse beneficium; modo expressio qualitatis non sit, vt forma requisita.
3. Princeps non solet beneficium vni concedere, ita, vt alter laedatur, saltem grauitè. Vnde nunquam presumi debet, Principem rescribere, mandare, privilegium vel beneficium conferre voluisse cum graui seu notabili praiudicio.

NOTANDVM I. Si Clericus obtinens dignitatem aut personatum, impetret aliud beneficium, etiam ex minoribus, debet exprimere qualitatem beneficij antè obtenti: alioquin rescriptum obreptitium censeferi debet. Ratio est: Quia est obtentum per taciturnitatem veri per se ad rem pertinentis, quo cognito, Papa rem postulatam probabiliter non concessisset; Cùm non sit eius

vnus erat, videl. Canonicus & Archidiaconus, ac proinde scire debuerat, cur & quo tempore mandatum prodierit; atque executioni mandare, cum primùm ecclesiæ administrationem accepit.

3. **NOTANDVM IV.** Ex Iudaismo ad Fidem Catholicam conuersus, postquam constantiæ suæ sufficientia signa præbuit, ad sacros ordines & ecclesiastica beneficia promoueri potest. Ita hic, & docui lib. 1. moral. Theol. cap. 2. assert. 5.

4. **QVÆSTIO** est: Si in ecclesia Tornacensi statutum fuisset, vt nemo ex Iudæorum gente ortus, Canonicus, aut beneficiarius fieret, vt rûm Episcopus & Capitulum Petrum vi harum literarum Papalium recipere debuissent: Respondeo negatiuè, si nulla mentio, seu clausula derogatoria statuti inserta sit, iuxta doctrinam Ioann. Andree in c. ei cui, de præbend. in 6. Felin. in c. nonnulli n. 9. hoc tit. quod Princeps non censetur derogare velle statutis & consuetudinibus locorum, nisi exprimat; & ideo per literas Papa nunquam derogatur statutis requirentibus certas qualitates in promouendo. Videri etiam potest Rota Roman. in decis. 1. in nouis, de præbend. Ratio responsionis sumitur ex c. 1. de constit. in 6. ex quo colligitur; Pontificem censendum non esse particularium locorum seu ecclesiarum consuetudinibus ac statutis, si ea rationabilia sint, derogare velle, nisi exprimat: Statutum autem istud, vt nemo ex genere Iudæorum in ecclesiam vt beneficiarius, aut in Monasterium, vel Ordinem recipiatur, rationale esse potest; neque excedit potestatem statuendi, quæ est in ecclesia episcopali, aut regulari, prout videre licet apud Eman. Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 10. a. 3.

Neque obstat, quod Pontifex in fine huius c. ait; *Quod Iudæus extiterit, ipsum dedignari non debet.* Quia in ecclesia Tornacensi non extabat tale statutum; alioquin allegatum fuisset: Cùm itaque spectato cõmuni iure, tales non repellantur, rectè dixit Papa, eum, pro quo scriptum fuit, à præbenda repelli non potuisse.

eius intentio beneficia conferre personis, quæ iam antè ecclesiasticis beneficijs abundant, maximè cum pauperum clericorum, quibus minora beneficia competunt, detrimento, iuxta c. postulasti 27, hoc tit. Ita explicant Innoç. hic & Abb. n. 2.

Hac etiam de causa in Concil. Lateranen- si sub Leone X. sess. 9. in Bulla reformat. Curia decretum est, vt beneficia quæ 200 ducatorum valorem annuum non attingunt, R. E. Cardinalibus non conferantur, præterquam si vacent per obitum vnus ex familiaribus eorum.

2 His duo adde : I. Si ab inferiore Ordinario, v. g. Episcopo, petatur beneficium, qualitates petentis, aut beneficij petiti non ita exprimi debent, sicuti si à Pontifice impetretur : quia Ordinario notæ esse censetur, prout Felin. annotauit in cap. in nostra, n. 25. coroll. 29. hoc tit. Idque verum est, si expressio veri non requiratur tanquam forma, ita vt sine ea rescriptum irritum sit, sed duntaxat ad subreptionem impediendam : subreptio autem per taciturnitatem veritatis locum non habet, vbi ea concedenti nota est. II. Neque tunc subreptioni propter taciturnitatem veri locus esse potest, si certum aut verisimile sit, Principem, v. g. Pontificem, nihilominus, etiam si veritas expressa fuisset, concessurum fuisse, prout etiam ex hoc cap. colligitur vers. cum non sit intentionis nostra, iun. Gl. in casu ; atque ex Ancharano cons. 137. exemplo declarat Aufferius super decis. Capell. Tholos. 436. Quod mala expressio valoris beneficij non nocet, si ex literis colligatur, quod Papa opulentiùs etiam, & fortassè libentiùs, concessisset. Id tamen limitari debet, si versentur in casu, quod expressio qualitatibus tanquam forma requiratur, prout hic annotat Felin. n. 11. Sine forma enim rescriptum non subsistit, sicuti etiam supra dixi in c. 1. in 1. not. hoc tit. & videri possunt, quæ dicuntur in cap. super literis, 20. c. postulasti 27. hoc tit.

3 NOTANDVM II. Princeps non solet beneficium vni concedere, ita vt alter lædatur, saltem grauius, ait Gl. hac ver. inten-

tionis : Modicum autem præiudicium æstimari non solet. Spectat huc, quod ex S. Ambrosio refertur in c. denique 10. causa 14. q. 5. Si non potest subueniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum iniuari, quam grauari alterum. Eapropter nunquam præsumi debet, Principem rescribere, mandare, aut priuilegium vel beneficium cõferre voluisse, cum graui seu notabili alterius præiudicio, vti hic Baldus notauit n. 2. & dixi in c. Quæ in ecclesiarum 7. de Constitut.

CAPITVLVM IX.

Si autem,

PARAPHRASIS.

Dubitabatur, si Titius rescriptum ad lites à Sede Apostolica impetrauerit, eoque usus non sit coram Iudice delegato ; Interea autem Caius, aduersarius eius, alio impetrato rescripto, in quo prioris mentio nulla facta, Titium in eadem causa ad iudicium trahat, quæstio, inquam, erat, an is exhibendo prius rescriptum, aduersus Caium excipere, eumque repellere possit. Respondet Lucius III. Papa, esse distinguendum ; Si prior impetrans Titius rescripto, ob dolum vel negligentiam, usus non fuit, (vnus anni spatium, sicuti habetur in c. plerumque 23. hoc tit.) excipere non potest : Sin autem non culpa fuit, sed quia Iudicis delegati copiam habere non poterat, agere intermisit, competit ei exceptio aduersus literas posteriores.

SUMMARIUM.

1. Valeat rescriptum secundum impetratum ab Aduersario, licet non faciat mentionem de primo, si prior impetrans ob dolum vel negligentiam (intra vnus anni spatium) illo non fuit usus.
2. Rescriptum iustitia ex se perpetuum est, nisi postea aliud impetretur ei contrarium.

trarium; tunc enim ope exceptionis prius tolli potest ob dolum, aut negligentiam, eo non utentis.

3. *Universim rescripta iustitiæ seu ad lites obreptitiè obtenta, ipso iure nulla non sunt, sed per exceptionem elidi possunt.*
4. *Negligentia post anni lapsum præsumitur in impetrante rescriptum, quo usus non fuit; non autem dolus, qui ab allegante probari debet.*

2 **NOTANDUM I.** Tamen si rescripta iustitiæ perpetua sint, si certum tempus definitum non sit, id est, semper eorum usus, seu utendi facultas daret, quamdiu permanet ius siue agendi, siue excipiendi, super quo fundatur, l. 2. iun. Gloss. ver. perennia Cod. de divers. rescriptis; limitari tamen debet per hunc textum: Nisi postea aliud ei contrarium rescriptum à Principe impetretur: tum prius tolli potest ope exceptionis, propter negligentiam aut dolum eo non utentis.

3 **NOTANDUM II.** Rescripta iustitiæ seu ad lites, obreptitiè obtenta, non sunt ipso iure irrita, sed per exceptionem elidi possunt. Ita notant Interpretes hic Abb. num. 2. Anton. num. 7. Felin. cap. ad audientiam 31. num. 17. hoc titulo. Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 21. num. 3. & sumitur aperte ex textu: Nam posterius rescriptum, priori contrarium, eius mentionem nullam faciens, subreptitium est, ut etiam constat ex c. 3. hoc titulo. Et tamen anni elapso spatio si prior impetrans suo rescripto per negligentiam aut dolum non utatur, posterius vires & robur acquirat: Ergo non fuit irritum ipso iure, sed tantum infirmum, ut per exceptionem elidi posset: Nam quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere, reg. ff. 30. Et reg. 18. in 6. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

Obiicitur, quod Legistæ docent in l. licet 5. C. de except. & præscript. *Quæ sunt temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum*: Itaque tamen primi rescripti im-

petrator. ex eo post annum agere prohibeatur, poterit tamen de obreptione rescripti posterioris excipere, ut efficaciter ex eo conveniri non possit. Respondeo: Si exceptio, siue ius excipiendi ex radice perpetua proveniat, puta ex iure naturali defensionis, quod per legem positivam non tollitur, tunc locum habet regula: Tamen si ius actionis tempore definiatur per legem, ius tamen excipiendi perpetuo manere. Exemplum est in l. purè 5. §. ult. ff. de doli & metus except. Si à quopiam v. g. in contractu deceptus es, seu dolo circumventus, competit tibi adversus eum actio de dolo, quam secundum l. ult. Cod. de dolo, intra biennium institui potes: Quo elapso, tamen si de dolo agere concessum non sit, si tamen adversarius adversus te actionem moueat, petens servari contractum, semper eum per exceptionem doli mali repellere poteris: cum naturalis æquitas non patiat, aliquem ex propria iniquitate commodum reportare: aut cum alterius iniuria, aut damno locupletari. Sin autem exceptio siue ius excipiendi ex fundamento seu radice mutabili proveniat, tum eo destructo aut infirmato, corruit etiam ius excipiendi, prout hic apparet. Siquidem tam actio, quam exceptio contra rescriptum posterius fundatur in rescripto prius impetrato: quod cum per canonis decretum in pœnam negligentiae aut commisi doli, infirmatum sit, sequitur quod & actio, & exceptio infirma reddatur. Sic etiam se res habet, si rescriptum iustitiæ contra privilegiatum impetretur non facta privilegij mentione, competit exceptio adversus rescriptum: Quæ tamen exceptio cum in privilegio fundata sit, ideo si ponamus privilegiatum ei voluntariè renunciaffe, corruet exceptio una cum privilegio. Quæ de re dixi aliquid in c. cum Ordinem in quæst. 1. & ibi Abb. num. 3. hoc tit. Videri possunt hic Ioann. Andr. Imola & Abbas: & quæ examinando traditam doctrinam docet Decius.

QVÆRUNT hic etiam DD. Num post anni 4 lapsum dolus aut negligentia præsumatur in eo, qui rescripto usus non fuit: Affirmant Hostiensis & Anton. n. 10. Abb. n. 4. Decius n. 2.

L de ne-

de negligentia, ita vt rescripti impetrator, si culpam aut causam in Iudicem conijcere velit, à quo impeditus fuerit, quo minus actionem proponeret, probare teneatur. Negant autem de dolo: nam dolus non præsumitur, sed ab allegante probari debet, l. quoties 18. §. qui dolo ff. de probat. Et fit hæc probatio per coniecturas, seu indicia exterius perspicua, l. dolum ex indiciis 6. C. de dolo malo; cum dolus in animo residens per se non appareat.

CAPITVLVM X.

Ad hæc.

PARAPHRASIS.

Relatum fuerat Lucio III. Pontifici, quòd quidam ex Curia Romana literas afferrent, in quibus omnia eorum negotia vni Iudici, vel plurib⁹, quos ipsi elegerint, iudicio committantur: Vnde accidere solet, vt repudiato Iudicis ordinarij examine, ad vnum vel plures Iudices delegatos, qui ipsis propitij sint, aduersariæ autem parti suspecti, pro causis definiendis recurrant. Quod cum iniquum & irrationabile sit, mandat Pontifex Ordinario loci, vt si eiusmodi literas in prouincia sua repererit, eas viribus carere Apostolicæ Sedis auctoritate decernat.

S V M M A R I V M.

1. Rescripta iniuria de falsitate suspecta sunt, ideòque reijcienda, in quibus certus iudex non delegatur, aut certo vni iudici omnia presentia & futura committuntur.
2. Item si quid contineant contra stylum Curia, aut naturalem æquitatem.
3. Potest Papa ex plenitudine potestatis per rescriptum dare potestatem eligendi quemcunque iudicem, saluo tamen iure recusandi.
4. Ex plenitudine potestatis potest Princeps operari contra ius commune positum.

uum, aut consuetudinarium, seu Curia sua stylum: modo nihil agat contra rationem aut æquitatem naturalem.

NOTANDVM I. Duæ inter alias causæ sunt (iuxta communioem intellectum, in hoc c. insinuatæ) ob quas rescriptum de falsitate suspectum esse debeat: I. Si in rescripto certus Iudex non delegetur, sed arbitrio & electioni impetrantis committatur. Futurum enim est, vt Iudicem sibi propitium, aduersario autem suspectum eligat. II. Si negotia omnia cum presentia, tum futura vni, etiam certo, Iudici committantur: Quod secundum Rom. Curia stylum fieri non solet in rescriptis iustitiæ; cum per id ordinario Iudici multum derogaretur, quod plerumque non expedit, argum. c. peruenit 39. causa 11. quæst. 1. De rescriptis iustitiæ loquor: At verò per rescriptum gratiæ ad defendendum v. g. Ordinem Regularium, aut Monasterium ab iniuriis & impetitionibus manifestis aduersariorum, dari ita solent Iudices, qui dicuntur *Conseruatores*, cap. 1. & c. vlt. de iudic. deleg. in 6. atque notarunt hic Imola & Abb. vterque n. 5.

NOTANDVM II. Si literæ Principis contra stylum Curia, aut cõtra naturalem æquitatem quippiam continentes presententur, de falsitate suspectæ sunt, ideòque reijci debent. Ita hic, & supra in c. 2. hoc tit. & c. 3. de Capell. Monachorum.

QVÆRIT Glossa hic ver. elegerint: Num Papa ex certa scientia eiusmodi rescriptum committere possit, v. g. cum potestate eligendi quemcunque Iudicem? Et rectè respondet, committere posse, saluo tamen iure recusandi. Quod etiam docet Anton. hic in fine, ibid. Baldus, & Abb. n. 8. Nam vocola *ex certa scientia*, æquiualeat hic plenitudini potestatis: At verò Princeps ex potestatis plenitudine operari potest contra ius commune positum, aut consuetudinarium seu Curia suæ stylum, dummodo nihil agat contra rationem aut æquitatem naturalem, tollendo v. g. ius naturale defensionis, aut sine necessitate partem alteram grauando; Id autem fieret, si causam seu litem decidendam committeret.

erret Iudici incerto, seu quem impetrans elegerit, non concessa parti alteri recusandi potestate.

CAPITVLVM XI.

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

H. de sancto Stephano, qui ab Episcopo suo excommunicatus fuerat, literas tanquam à Sede Apostolica missas præsentauit, in quibus de absolutione ipsi conferenda continebatur: sed quia propter vitium latinitatis suspectæ erant, Episcopus remisit eas ad Lucium III. Papam; Qui hinc respondet; cum dictæ literæ manifestum in constructione peccatum contineant, non esse ipsis fidem habendam.

SUMMARIUM.

1. Rescriptum, quod manifestum in constructione vitium siue solæcismum continet, tanquam falsum rejici debet; nisi in eo stylo Curie, vel Camera Apostolicæ conforme sit, cum quo conferendum.
 2. Et hoc locum habet non tantum in rescriptis Pontificiis omnibus iustitiæ & gratiæ, sed etiam in rescriptis & priuilegiis aliorum Principum.
- Non autem in instrumentis Notariorum.

NOTANDVM VN. Literæ, quæ tanquam ab Apostolica Sede missæ afferuntur, si in constructione verborum vitium manifestum, siue solæcismum contineant, tanquam falsæ rejici debent. Ratio est: Quia rescriptum Principis transit per multas manus, & magna maturitate decoquitur, c. Apostolicæ 4. causa 35. quæst. 9.

2. Ampliari debet doctrina primò cum Abb. hic n. 3. Vt intelligatur de omnibus rescriptis Pontificiis, siue sint iustitiæ, siue gratiæ. Secundò, vt locum etiam habeat in rescriptis & priuilegiis aliorum Principum; cum eadem sit ratio. Non autem locum habet in instrumentis Notariorum, secundum Gloss. fin. hic Felin. in c. ex parte n. 2. de fide instrum. Quia

vnum hominem errare proclive est, l. errore 7. C. de testament. & in l. 2. C. de errore aduocatorum dicitur, quòd error libellum scribentis parti nocere non debeat: si ostendi possit, vel ex coniecturis appareat, à scribente erratum fuisse. Videri possunt quæ docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 22. n. 27.

His addendum est, ex Petr. Gregor. Tholosano super hoc c. verbo peccatum; Antequam Pontificium rescriptum propter vitiatam latinitatem rejiciatur, verba eius conferenda esse cum stylo Curie, aut Camera Apostolicæ; videndumque, num loquendi modus dissimilis sit, necne: Cum non propter falsam latinitatem præcisè, sed inde ortam præsumptionem fraudis, rescriptum rejici debeat: Præsumptio autem cedit veritati, quando Principis voluntas probabilissimè apparet, sicuti etiam Gl. hic fatetur ver. manifestum, circa medium.

Si dicas, Ex hoc sequi, nullum esse discrimen inter Principis rescriptum, & Notarij, alterius siue similis personæ scripturam. Respondeo; Imò esse discrimen; Quod Principis rescriptum, in quo error manifestus continetur, ob rationem in r. not. positam, magis suspectum sit de falsitate, vt non tam faciliè quispiam admittatur ad probationem contrarij; quandoquidem suspicio hæc siue præsumptio est iuris & de iure; nisi contrarium indubiè appareat.

CAPITVLVM XII.

Ex parte S.

PARAPHRASIS.

Capella Emptonensis suberat Ecclesiæ de Tarento, cuius Rector de Tarento erat Sebastianus. Onuphrius Diaconus litem intendit Capellano Emptonensi coram Ordinario; ab eius sententia appellat Onuphrius, sed appellationem non prosecutus expellit Capellanum. Verùm Sebastianus causam sui Capellani prosequitur, & à Sede Apostolica literas ad iudices delegatos impetrat. Ab his in iudicium

L 2 cium

iudicium vocatus Onuphrius, obiecit, se literas priores à Sede Apostolica impetrasse, quibus potius deferri debeat, quam posterioribus, cum in eis nulla mentio fiat priorum. Verùm has literas idem Onuphrius vsque ad tertiam citationem suppresserat, nec eis vsus fuerat ob dolum vel negligentiam: quæ negligentia & dolum inde etiam apparebat, quia in impetratione literarum nullam de appellatione mentionem fecerat, cum tamen biennium à tempore appellationis elapsum fuisset. Quare in hac re rescribit Clemens III. & mandat, si rem ita se habere constiterit, vt omnibus in statum pristinum restituis, quæ post appellationem attentata fuerunt, Capella Ecclesiæ matri restituantur, & Onuphrius ad expensas præstandas Sebastiano Rectori condemnetur.

SUMMARIUM.

1. *Quæ dicatur matrix Ecclesiæ.*
2. *Si Rector ecclesiæ superioris sit etiã inferioris seu capellæ, quæ gubernat per Capellanum seu Vicarium, Capellanus capellam non suo, sed Rectoris principalis nomine possidet.*
3. *In libello de possessione retinenda, vel recuperanda mentio fieri potest de iure proprietatis, et si id postea non ostendatur.*

NOTANDVM I. Si ecclesiæ parochialis seu plebana capellam sibi subiectam habet, eius comparatione dicitur matrix. At verò spectato communi iure, ecclesiæ parochialis non habet fundatam intentionem super capella intra fines parochiæ constituta, vt ipsi subiecta censi debeat, tanquam matri: sed ostendi debet ius speciale, v. g. quòd hac conditione fundata fuerit, aut ex parochiæ reditibus erecta, vt subesset & regeretur ab Ecclesiâ parochiali, secundum Gloss. in c. eam te 4. ver. pendeant, de æt. & qual. Abb. hic num. 1. Felin. 1. eundem Abb. in c. ad audientiam nu. 8. de eccles. ædif. Alioquin verò per ecclesiâ matricem, quæ intentionem fundatam super omnes diocesis ecclesias & capellas habet,

intelligi debet cathedralis seu episcopalis c. venerabilis 22. de verb. signif.

NOTANDVM II. Si Rector ecclesiæ superioris, seu principalis, sit etiam Rector inferioris seu capellæ, quam per Capellanum seu vicarium gubernat, iuxta ea quæ tradit Gl. in cit. c. eam te, ibid. Anton. n. 10. tunc Capellanus capellam non possidet suo nomine, sed potius nomine Rectoris principalis, quem admodum nec colonus fundum suo, sed domini nomine possidet, iuxta l. 1. C. Communia de vsucapion. & c. cum venissent 11. iun. Glossa in not. de rest. spoliat. Quare, sicuti si colonus è fundo deiciatur, seu expellatur, domino competit actio seu interdictum possessionis recuperandæ, vt docet Bart. in l. 1. §. de jectur. ff. de acq. posses. Ita etiam si capellanus Rectori dicto modo subiectus deiciatur, Rector ecclesiæ matri actionem instituit, vt hic apparet, & annotauit Imolanum. 1.

NOTANDVM III. Ibi, cum de iure pertinere 3. ar. Quod in libello de possessione retinenda, vel recuperanda, nihil obstat mentionem fieri de iure proprietatis, etiam si id postea non ostendatur. Attenditur enim ad conclusionem libelli, & non ad ea quæ narrata sunt, & ea quæ narrantur, non extendunt conclusionem libelli. Ita hic Abb. notat n. 3. Anton. n. 2. Videri autem possunt quæ dicentur in c. 2. de ord. cognit. Simili modo in decretis ecclesiasticis attendi debet ad sententiam definitionis, aut decisionis, & non ita ad rationes, & alia, quæ accessorie ac veluti incidenter, maiorisque confirmationis causa inferuntur. Horum enim non tanta auctoritas esse debet, atque deo que si ponamus, falsum quippiam in decreto seu fidei, seu morum, contineri, nihilominus decretum vim suam habebit. Dixi de hac re aliquid in lib. 2. mor. Theol. tract. 1. cap. 2. fm.

NOTANDVM IV. Qui literas impetrat super causa, in qua appellauit, appellationis suæ mentionem facere debet. Item, ex diuturnitate seu mora temporis, quo impetrans literis non vtitur, sed eos supprimit, negligentia vel dolum præsumi potest, vt etiã dictum in c. si autem 7. hoc tit. Item, post appellationem

ncm

nem interpositam, si quas attentata sunt, in statum pristinum reuocari debent, c. super questionum 27. in fine, iun. Gl. in not. ult. de offic. deleg. Item, si appellans appellationem suam intra terminum à iure vel iudice definitum non prosequatur, condemnandus est ad expensas aduersario præstandas, si quas prosequendo appellationem fecit, c. reprehensibilis 26. c. Nicolao 64. de appellat.

CAPITVLVM XIII.

Sciscitatus.

PARAPHRASIS.

Quidam misit Cælestino III. petitorium, id est scriptum continens dubitationem ac petitionem. Si Sedes Apostolica duobus vel pluribus iudicibus causam delegauerit, adiecta clausulâ *si vnus mandatum exequi non possit*, vt alter vel reliqui sine illo exequantur, vtrum id de impotentia tam iuris quam facti intelligi debeat. Respondet Pontifex de vtrâque accipiendam esse: iuris impotentia v.g. est, si delegatus sit seruus, vel infamis, vel excommunicatus, vel iudiciorum omninò imperitus: facti impotentia est, si morte præuentus fuerit, aut graui morbo, aliâue necessitate impeditus, quò minùs causam cognoscere queat. Adijcit verò Cælestinus, quòd impeditus causam suscipere, debeat impedimentum Collegis significare, quia ad legitimam excusationem non sufficit nolle causam suscipere, cum possit, nisi rescriptum alternatiuam contineat, si qui non potuerint, aut noluerint, alij in causa procedant.

SVMMARIVM.

1. *Impossibile non tantum censetur, quod naturaliter vel omninò non, aut difficillimè fieri potest, sed etiam, quod honestè fieri nequit.*
2. *Quædam persona à natura iudices esse prohibentur, vt furiosus, infans: que*

dam à lege, aut recepta consuetudine, vt seruus, infamis, excommunicatus &c.

3. *Impedimentum post factam delegationem Iudici superueniens impedit eum à munere cognoscendi & iudicandi.*
4. *Impedimentum Iudicis (ordinarii & delegati) si naturale est, sed publicè & probabiliter ignorat, irrita est eius sententia & processus; non item, si impedimentum ex iure postiuo est.*
5. *Impedimentum iuris publicè notum Iudicis processum & sententiam inuvalidat, etsi partes nihil contra iudicem excipiant.*
6. *Valet sententia iudicis excommunicati non vitandi, si contra eum non excipiatur.*

NOTANDVM I. Duplex est impotentia, siue duobus modis impossibile aliquid dicitur, videlicet *de iure, & de facto*, c. ult. de pactis. Nam secundum communem loquendi & sentiendi modum, vtroque etiam iure confirmatum; non tantum id impossibile censetur, quod naturaliter vel omninò non, aut difficillimè fieri potest, sed etiam quod honestè & secundum mores fieri nequit, l. si stipulor 35. ff. de verbor. obligat. l. filius qui 15. ff. de condit. institut. vbi Papinianus l. c. ait: *Quæ facta ledunt pietatem &c. & generaliter que contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est.* Atque ideo horum omnium impossibile, si alicui mandentur, nulla est obligatio, regul. 6. in 6.

NOTANDVM II. Quædam personæ à natura iudices esse prohibentur, vt furiosus, infans: Quædam autem à lege, aut recepta consuetudine, vt seruus, infamis, excommunicatus, &c. Videri potest Paulus l. c. in l. cum prætor 12. ff. de iudicijs, quem secutus est Gratianus in c. 1. causa 3. q. 7.

NOTANDVM III. Clausula inserta rescripto iustitiæ, *Si non omnes interesse preestis &c.* eum qui non vult interesse, cum possit, ab inobedientia non releuat: Interim verò aliorum iurisdictionem, etiam sine ipso, confirmat, c. prudentiam 21. §. Adijcimus, de offic. delegati.

QVÆSTIO PRIMA. Si impedimentum tempore factæ delegationis non fuit in Iudice, sed postea superueniat, num eum impediatur à munere cognoscendi & iudicandi? Responso debet esse affirmatiua cum Gl. hic ver. infamem. Abb. n. 7. Decio n. 7. Idq; verum est, siue impedimentum naturale superueniat, vt furor, amentia, siue legitimum, vt si seruus efficiatur, aut iuris infamiam contrahat, quippe quæ ipso facto publici muneris priuationem inducit, l. 2. §. si miles ff. Quibus ex causis infamia contrahitur. Sed alia ratio est de infamia facti, vt si quis in periurium incidat, aut homicidium committat. Tamest enim testis ita criminofus saltem per partis exceptionem repelli possit, c. testimonium 54. de testibus; non tamen Iudex repelli potest, præterquam si ex crimine specialiter parti suspectus, ideòque recusabilis sit. Ratio discriminis inter Iudicem & testem afferri debet, partim quia contra Iudicem, si malè iudicasse videatur, appellationis remedium competit, vt hic Imola notauit n. 19. Abb. n. 8. Partim, quia Iudicis officium publicum est: & ideo non tam facile recusari potest, vt hic Decius monuit n. 7. Idque maximè locum habet, si causa Iudici ordinario commissa sit; cum enim in aliis causis toleretur, cur non in ista? Cæterum, si impedimentum Iudici delegato superueniens, postea cesset, vt si amentie morbus, in quem post factam commissionem incidit, tollatur, vel infamis pristinae famæ ac potestati restituatur, recuperat iurisdictionem in causa ipsi delegata. Nam impedimentum temporale magis suspendit iurisdictionem, quam tollit, teste Anton. hic n. 23. Abb. n. 10. Dec. n. 8.

QVÆSTIO SECUNDA. Si impedimentum Iudicis, seu is ordinarius sit, seu delegatus, ignorabatur, & post latam ab ipso sententiam innotescat, num ea retractari, vel irrita censeri debeat? Resp. & Dico I. Si impedimentum iudicandi, quamuis publicè ignoratum, naturale est, v. g. amentie morbus, aut surditatis, ita vt causam Iudex non intellexerit, irrita est eius sententia, ac processus.

Dico II. Si impedimentum ex iure posi-

tium est, sed publicè ac probabiliter ignoratum, valet sententia & processus; neque detecto postea errore, retractari debet, iuxta l. Barbarius, ff. de offic. Prætor. Exempli causa: Si iudex ordinarius vel delegatus à legitimo magistratu constitutus publicè in aliquo loco habeatur pro ecclesiæ membro, cum sit excommunicatus non toleratus, vel pro libero homine, cum sit seruus, seu mancipium; vel pro masculo, cum sit femina, acta eius valent: Quare dicunt DD. quod in hoc casu error communis ius tribuit. Dig. xi de hæc re copiose lib. 1. Th. mor. tr. 4. cap. 22. n. 9.

Dico III. Si impedimentum iuris publicè notum sit, tamest partes nihil contra Iudicem excipiant, siue quia id ignorant, siue quia remittere volunt, non valet processus & sententia iudicialis. Ita Imola hic n. 22. Abb. n. 12. Decius n. 7. Cum enim aliquis iure ipso inhabilis est, partes non possunt eum habilem reddere: siue, vt aliter dicam, si defectus non pendet à voluntate partis, eius taciturnitas nihil operatur, secundum Gl. in l. 1. ver. inchoata, C. vbi de crim. agi oportet.

Addit Decius cit. loco, tamest iuris impedimentum v. g. seruitus, aut infamia, publicè ignoretur, posse tamen partem illud detegendo, excipere contra Iudicem, tam ordinarium, quam delegatum: ita, vt si nihilominus procedere velit, aduersus ipsum appellari possit.

Sed & alius casus est, in quo sententia Iudicis ordinarij aut delegati valet, si contra eum non excipiat, secus, si ante latam sententiam excipiat: Videlicet si is in excommunicatione existat, non vitandus. Nam in Concilio Constantiensi, extrau. *Ad euitanda*, licentia data fuit fidelibus communicandi cum excommunicatis, si denuntiati non sint, nec notorij clericorum percussores; ita tamen, vt per hoc ipsis excommunicatis, nullus fauor factus fuerit; esset autem non paruus eorum fauor, seu commodum, si fideles contra Iudicem excipere non possent, sicuti iure antiquo poterant, c. exceptionem 12. de except. Videri possunt quæ docui lib. 1. Theol.

Theol. moral. tract. 5. p. 2. c. 2. effectus. 8. & cap. 4. n. 4.

CAPITVLVM XIV.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Si duo rescripta super eadem causâ ad diuersos iudices à Sede Apostolica peruenierint, & dubitetur, an prius per posterioris reuocetur; tum si vna pars iudicum delegatorum alteri deferre velit, vt cognoscat, ad quos iurisdictio pertineat, illi soli, quibus defertur hoc dubium, dirimant, antequam de causâ principali cognoscat. Quod si neutra pars iudicum alteri deferre velit, tunc simul vtrique, inspectis rescriptis eorumque datis, definiant, vtri parti potius iurisdictio competere debeat. Quod si inter se non consentiant, hoc casu (tametsi plures sint iudices ex vna parte delegati, quàm ex altera parte) communi partium litigantium consensu arbitri eligendi sunt, qui controuersiam hanc definiant, videlicet ad priorēne, an ad posteriores iudices cognitio pertineat.

SUMMARIVM.

1. *Iudex ordinarius & delegatus cognoscere potest, vtrum sua sit iurisdictio; & quidem si delegatus sit vnus, solus cognoscat; sin plures, & non concordent, ad arbitros recurrendum est.*
2. *Si iudex bonâ fide & probabiliter pronunciet, se competentem esse, & ab hac sententia interlocutoria non appellatur, processus & sententia in causâ principali valebit; licet postea innotescat, ab initio verè competentem non fuisse.*
3. *Secus tamen est, si iudicis iurisdictio fundata non sit; non enim in causâ principali procedere potest iudex, nisi certus sit de iurisdictione sua.*
4. *Ex duplici titulo potest Iudicis iurisdic-*

dictio non esse fundata: primò, si nullitas sit ex parte rescripti, seu commissionis pratenta. Secundo, si commissio sit à Superiore in causâ ad iurisdictionem ac potestatem eius non pertinente.

5. *Error, quantumuis probabilis, iurisdictionem conferre non potest, si commissio non facta est ab habente potestatem.*
6. *Iudici procedere volenti obiectus defectus incompetentia, si sit talis, quem lex aut Superior, cui index ille est subiectus, supplere non possit, facit, vt in dubio nequeat de hac exceptione cognoscere, & iudicare.*
7. *Secus est, si defectus sit, qui suppleri à lege, aut predicto Superiore queat.*
8. *Si inter iudices per diuersa rescripta super eodem negotio delegatos controuersia orta componi non possit, vtra pars cognoscere debeat, nec pars vna alteri deferre velit; per arbitros ab vtraque parte electos causâ decidenda erit.*
9. *Si causâ communi consensu duarum diuersarum partium (collegiorum seu corporum) decidenda sit, debet vtrouique maior pars consentire.*

NOTANDVM I. Non tantum Iudex ordinarius, exorto dubio, num ad ipsum pertineat iudicare, cognoscere potest, num sua sit iurisdictio, l. si quis ex aliena, 5. ff. de Indicijs, l. 2. ff. si quis in ius vocatus & c. fed etiam delegatus. Ita sumitur ex hoc c. & notat Abb. n. 1. Felin. in c. super literis c. 18. 23. & seqq.

Sunt autem aliquæ adhibendæ declarationes: Prima est, Si vnicus iudex delegatus sit, ipse solus orto dubio cognoscat: Sin autem plures, seu vno, seu diuersis rescriptis, delegati sint, conuenire simul debent, ac dubium discutere; sin autem consentire non possint, arbitros eligere, sicuti iterum dicant in 2. not.

Altera declaratio. Si iudex, ordinarius 2 aut delegatus, orto dubio de iurisdictione sua in certa causâ, bonâ fide ac probabiliter

biliter pronunciet, se competentem esse: atque à sententia hac interlocutoria non appelletur, processus & sententia in causa principali valebit: esto postea comperiat, ab initio verè competentem non fuisse, uti hic ex communi docet Anton. 3. & 9. latè Felin. cit. c. super literis fermè toto. Ratio dari debet; quia hæc est mens ac voluntas committentis iurisdictionem, ut orto dubio num iudex in causa aliqua cognoscere possit, ad ipsum pertineat determinare; & secundùm id procedere: Ideòque habemus hic alium casum, in quo *error probabilis ius tribuit*.

3 *Quamobrem rectè ex communi doctrina in suprâ cit. c. super literis n. 29. 30. notat Felin. Secus dicendum esse, si iudicis iurisdictione fundata non sit; siue, ut clariùs dicam, si iurisdictione eius per pronuntiationem eam, competentem se esse, fundari non possit. Etenim iudex in causa principali procedere nunquam potest, nisi certus sit de iurisdictione sua, prout etiam docuit Steph. Aufrerius in capell. Tholofanæ quæst. 479. n. 3. cum neque tutor administrare possit, nisi certus sit se tutorem esse l. quæro 3. in fine. ff. de eo qui pro tutore &c.*

Accidit verò id, quod dixi, ut iudicis iurisdictione fundari non possit, duobus modis; 4 *Primò, si nullitas sit ex parte rescripti, seu commissionis præsentis; quia supposititia est, aut rescriptum falsum. Est enim tunc iudex, quamvis ex causa verisimili, arbitretur ac pronunciet, ius cognoscendi se habere, irritum erit quicquid agitur, ob defectum commissionis, & acceptæ iurisdictionis. Distinguendum itaque, monet ibidem Felinus, inter literas falsas, & obreptitias: illæ nullam dant iurisdictionem, hæc verò dant tam super principali, quam super dubio iurisdictionis; & sententia ex eis lata transit in rem iudicatam. Secundò, si commissio facta sit à Superiore in causa ad iurisdictionem ac potestatem eius non pertinente, uti habetur in l. 2. C. si à non competente iudice &c. Tametsi enim in hoc casu, si dubius sit, iudex delegatus, cognoscere possit, num ipsi ex vi eius commissionis procedere liceat, uti vult Baldus in ead. l. 2. n. 2. Felin. n. 36.*

si tamen cognoscendo ac pronuntiando se iudicem esse, erret, quia reuerà, ut ponimus, Superior causam, extra iurisdictionis limites existentem, committere non potuit, acta à iudice delegato irrita prorsus sunt.

Exemplum habemus, si Princeps secularis causam, quæ verè ecclesiastica & extra forum suum est, committat cognoscendam alteri; isque ob auctoritatem committentis, aliâsue rationes, pronunciet competentem se esse, poterit quidem, si bonâ fide procedat, excusari à culpa; sed acta eius irrita erunt, ob iurisdictionis defectum; quippe quam error, quantumvis probabilis, conferre non potest, si commissio non facta ab habente potestatem, prout docere solent Doctores in l. Barbarius, ff. de off. Prætor. & dixi aliquid in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 9.

Eademque omninò ratione dicere id cogimur de iudice ordinario, si causa ad ipsum delata sit, de qua dubium est, num fori sui secularis sit, an verò ecclesiastici; ipse verò pronunciet, ecclesiasticam non esse, cum reuerà sit, atque talem esse postea intelligatur, acta eius iudicis & sententiam latam, irritam esse; quia à non iudice, seu cuius iurisdictione fundata non erat, processerunt, sicuti mox amplius dicitur.

Tertia enim in not. 1. traditæ regulæ declaratio est: Si iudici, siue ordinario siue delegato, procedere volenti obijciatur defectus incompetentiæ, distinguendum; utrum defectus sit ex rei natura, siue talis, quem lex aut Superior, cui iudex ille subiectus est, supplere non possit; an verò defectus sit, quem lex aut Superior supplere queat. In priore casu, si v. g. obijciatur esse amentem, non potest in dubio de hac exceptione cognoscere: quia iurisdictione eius sicuti super principali fundata non est, ita nec super accessorio isto seu incidente, prout pluribus allegatis docet Felinus in eod. c. super literis n. 23.

Præterea si iudici seculari in causa procedere volenti, pars obijciat, quod sit ecclesiastica, ad ipsius proinde cognitionem, iurisdictionemque non pertinens; Aut, si citatus ad

Iudic-

Iudicem secularem, excipiat se clericum esse, iurisdictioni eius in hac causa non subiectum stante dubio de exceptione ista, Iudex secularis cognoscere ac pronunciare non potest, saltem efficaciter, ut eius iurisdictione per pronuntiationem, si non appelleretur, fundamentum ac vires acquirat; prout in hoc ipso casu docet Glos. in c. si Iudex 12. de sent. excomm. in 6. quod de re ecclesiastica & spirituali nec principaliter, nec incidenter habet secularis iudex se intromittere, iuxta c. tuam 3. de ord. cognitionis, c. lator 5. c. per venerabilem 13. Qui filij sint legitimi: sed, ut ait Gl. margin. ibi, Felin. hic n. 4. *In dubio isto ecclesiasticus est iudex, tanquam maior.* Eleganter Anton. de Butrio in cit. 6. super literis n. 40. & in c. si diligenti 12. nu. 14. de foro compet. vbi ait: *Propter dubium etiam causa deferentis causam ad iudicem secularem, quamquam cognoscere possit an sit iudex, non per hoc tamen subiicitur clericus iudici seculari, quoad principalem causam.* Et paucis interiectis: *Per qua patet, regulam illam, si quis ex aliena ff. de iudiciis, (quod iudex in dubio cognoscere possit, num sua sit iurisdictione, & ita eam fundare ac stabilire) procedere, quando iudex quis non est, esse tamen potest, saltem in hoc & per hoc dum cognoscit, an sit iudex: vbi autem iudex non est, nec esse potest, dubium non facit eum iudicem: nec tunc pronuntiatione, per quam se iudicem pronuntiaret, faceret eum iudicem: quia sententia impossibilis nihil prodest.* Quam ipsam doctrinam commendat & sequitur Felin. in cit. n. 23. Et Decius in c. cum ordinem, in fine, hoc tit. *Si iudex esset omnino incapax, prout est iudex secularis contra clericum, tali casu licet pronunciaret se competentem, sententia nihil valet, ut notat Abb. c. si diligenti, col. fin. de foro compet.*

7 In posteriore autem casu, locum habet regula ea, quam paulo ante cum Ant. de Butrio produxi, quod Iudex in dubio cognoscere possit de iurisdictione sua, eamque asserendo, etiam super causa principali stabilire. Sed declarandum & limitandum primo; Si qualitas fundans iurisdictionem Iudicis ordinarij aut delegati, extrinseca siue accessoria sit,

quia cognoscere non potest de causa, nisi existente tali qualitate, tunc ante omnia, saltem extrajudicialiter, informare se debet circa eam qualitatem, si de ea dubitetur: Tum vero, si in partem affirmatiuam determinauerit, fundata erit iurisdictione eius, etiam quoad causam principalem; tamen si ponamus, qualitatem verè non inesse: quando versamur in casu, vbi lex aut superior supplere potest defectum. Exemplum habes in c. 1. & c. vlt. de off. delegati in 6. vbi Conferuatoribus iudicibus committitur, ut de iniuriis, ac violentiis manifestis cognoscant: ad alia verò iudicalem cognitionem non extendant. Hoc ipso verò eis conceditur, ut preparatoriè cognoscere, & informare se possint, num iniuria manifesta sit, siue talis, ut ad examè suum iudiciale pertinere, prout Felin. monet in cit. c. super literis n. 20. arg. c. 1. & c. praterea 5. de off. delegati: Quia qui coedit principale, concedit etiam accessoria, & preparatoria, sine quibus principale expediri non potest. Aliud exemplum est in c. accusatus 8. §. sande, de hæret. in 6. vbi decernitur, ut Inquisitores Fidei non se intromittant in cognitionem de crimine diuinationis, aut sortilegij, nisi hærefin sapiat manifestè; vbi videri potest Gl. ver. manifestè, Dominic. de S. Geminiano in c. 1. §. contrahentes, vers. sed quid, ibid. Franciscus n. 5. de foro compet. Felin. cit. n. 20. Bartolus in l. præscriptione n. 7. & 8. C. si contra ius vel util. publicam.

Limitandum est secundò; Si non de nudo iurisdictionis exercitio agatur; quippe quod onus potius esse censetur, quam honor aut commodum, etsi fortasse modicum quid commodi, v. g. sportulas, adiunctum habeat; sed agatur vel de statu & existimatione personæ Iudicis: ut si ei obiciatur iuris infamia, aut contracta seruitus; adeoque de non modico commodo, quod ex iurisdictionis exercitio percipiet; Tunc iusta aderit causa, saltem ut suspectum iudicem recusandi; ita ut de exceptione illa ad firmandam iurisdictionem suam cognoscere non possit: Quia sicuti in principali, ita etiam in accessorio seu incidente suspicio contra illum & recusatio locum habet. Qua de re videri potest Bartol.

M

in l.

in l. quidam consulebat, n. 3. & seqq. ff. de re iudic. Petr. Ancharanus in c. si contra not. 3. de off. deleg. in 6. Felin. in cit. c. super literis n. 23. & seqq. Anton. in c. cæterum n. 9. de iudicis. Abb. in c. venerabili, de censibus, & in cit. c. super literis n. 10. inquiring ibi; *Quando exceptio pariter concludit in incidente, sicuti in principali, non potest iudex cognoscere.*

Porro ex his infert Abb. in cit. c. cum super n. 10. in 4. casu; Si non agatur duntaxat de iurisdictionis exercitio, sed de proprietate, ac statu subiectionis; quia citatus ait se à iurisdictione exemptum ac liberum esse; quod iudex de hac exceptione ad fundandam iurisdictionem super causa principali cognoscere non possit; saltem efficaciter, & ita ut recusari nequeat, sicuti sentit Felin. in eod. c. super literis n. 24. Vide quæ docui supra in c. cum ordinem, hoc tit. prope finem.

NOTANDVM II. Si inter iudices per diuersa rescripta super eodem negotio delegatos, controuersia orta componi non possit, vtra pars cognoscere debeat; nec pars vna alteri deferre velit; per arbitros ab vtraque parte electos causa decidenda erit. Hoc est præcipuum huius c. responsum, quod declarat P. Lud. Molina tract. 5. de iustit. disp. 31. n. 2. Appellatur autem hi arbitri iuris, seu ex legis præscripto ac necessitate constituendi. Alium casum habemus in c. si clericus 46. causa 11. q. 1. Si Episcopus cum Clerico diocesis suæ controuersiam habeat, ad arbitros ab vtraque parte eligendos recurendum esse. Qua de re dicendum alibi. Alius casus est in c. suspensionis 39. de off. delegati. Sed & in similibus, quamuis in iure non expressis casibus, ad arbitros confugiendum esse, putat Gl. in c. statutum 11. ver. copia, hoc tit. in 6. quam doctrinam examinat hinc Felin. n. 1. & 2. Sic dixi lib. 1. Theol. moral. tract. 2. cap. 5. n. 26. Si supremi Principes inter se controuersiam habeant, atque ea per transactionem componi non possit, communi partium consensu arbitros esse eligendos, qui controuersiam dirimant: Idque ex gentium iure, & naturalis rationis præscripto, cum superiorem non habeant, ad quem lis decidenda referri

queat. At verò iudices delegati, si de iurisdictione dubitent, Superiorem consulere possunt, saltem cum res moram patitur, ut colligi videtur ex c. 2. de offic. delegati. Quod & de ordinariis iudicibus, si inter eos de iurisdictione contentio oriatur, ad Superiorem referendam esse, tradit Felinus in c. super literis, n. 35. hoc tit. ex Angelo in l. 2. C. de in ius vocando.

QVÆRES: Quomodo id fieri possit, ut ex diuersis ad diuersos Iudices datis rescriptis non appareat, iuxta quod eorum rescriptorum iurisdictione competat, & processus institui possit? Respondeo, cum Abb. hic n. 2. & seqq. Varias posse occurrere dubitandi rationes; & inter eas hanc, si rescripta diuersa aut contraria vna eademque die data reperiantur. Tum enim si per testes probari, aut alia ratione constare possit, vnum priore diei hora datum esse, præferri id debet posteriori, prout docet Ioann. Andr. hic, Felin. n. 5. Zafius in l. 1. §. editiones, paulò post initium, ff. de edendo; qui addit, in instrumentis Notariorum horam etiam adiungi solitam esse. Plura de prioritate data inter duo rescripta videri possunt apud eundem Felin. cit. n. 5. & in c. capitulum n. 14. hoc tit.

NOTANDVM III. Circa ea verba, *quamuis plures sint*: Si causa communi consensu duarum diuersarum partium, collegiorum seu corporum decidenda sit, non sufficit maiorem (absolutè loquendo) partem congregatorum consentire; sed necesse est, ut vtroque pars maior consentiat. Exempli causa, si vtroque sint quinque congregati, vniuersim autem decem; atque ex vna parte quatuor, ex altera autem duo consentiant, dici non potest consensus duorum collegiorum seu corporum: sed opus est, ut ex vtraque parte minimum tres consentiant. Similiter, si tria corpora seu collegia ius eligendi aut præsentandi habeant; & vnum Collegium quod triginta personas complectitur, in aliquam personam consentiat; alterum, quod habet personas viginti, non consentiat; in tertio denique, quod habet etiam viginti personas, consentiat minor pars, vid. nouem duntaxat, non erit rata electio; quandoquidem

dem non adest maior pars eligentium, si eligentes non ut personæ singulares, sed collectiue siue ad corpora concurrunt. Quæ est doctrina Gl. fin. hic Abb. n. 6. Felin. n. 8. §. Vbi duo corpora, pulchrè Anton. nu. 15. in fine, *Quando plura corpora, ut corpora, viuuntur ad expediendum actum, quodlibet corpus habet unam vocem integram: quia attenditur corpus, & non numerus personarum.* Idem tradunt DD. in c. scriptum 40. de elect. vbi Abb. n. 6. fasè rem istam declarat.

S. Quoniam.

PARAPHRASIS.

Si alicui causæ cum generalitate absque personarum & rerum expressione delegatæ fuerint, v.g. cognosce de iniuria hac Titio illata, & quibusdam aliis tibi ab eodem proponendis: hoc casu iudex delegatus iurisdictionem habet veluti in habitu, licet actu eam exercere non possit erga personas & res, antequam exprimantur. Quamobrem si ab eadem Apostolicâ Sede aliud postea rescriptum emanet, quo causâ specialis contenta sub generalitate prioris rescripti aliis iudicibus demandetur, speciale hoc rescriptum derogat generali, tametsi de eo nullam faciat mentionem.

SUMMARIUM.

Iurisdictione delegata non datur in actu ante expressionem causarum, de quibus agendum; & personarum, contra quas agendum sit.

NOTANDVM I. Rescriptum ad lites speciale derogat priori generali, licet de eo mentionem non faciat: cum sit generalis regula, quod species derogat generi. Dixi de hac re in cap. i. hoc tit. Excipiendum verò est: Nisi in priore generali dispositione posterioribus rescriptis forma præscribatur, ut in iis mentio seu clausula derogatoria ponatur, alioquin non derogetur, vti dixi in c. cum Ordinem 6. hoc tit.

NOTANDVM II. Si iudici delegatio facta sit sine expressione personarum, aut causarum, iurisdictionem acquirit duntaxat in habitu, eamque prius exercere non potest, nisi expressæ fuerint causæ, de quibus agendum; & personæ, contra quas agendum. Ita Gl. hic ver. iurisdictionem, & videri potest c. 2. de Libelli oblat.

CAPITVLVM XV.

Sedes.

PARAPHRASIS.

In primis præfatur Innocent. III. quod Sedes Apostolica exhibeat se liberalem postulantis, quamuis alij eius gratiâ abutantur, quare ad horum malitiam impediendam decernit, si in rescripto à Sede Apostolicâ impetrato personæ minores ac minus dignæ exprimantur, quæ in iudicio conueniri possint, adiectâ clausulâ indefinitâ, *Et quadam alia persone, quod sub ea non comprehendantur personæ maiores ac digniores, neque item multitudo personarum, sed summum 4. vti postea dicitur c. 2. eod. in 6.* Similiter si in rescripto res minores expressæ fuerint, adiectâ clausulâ, *ut cognoscatur super his & aliis quibusdam,* per eam non comprehenduntur causæ grauiores seu maioris momenti. Denique ait, si quis in petitione personas expresserit, non quod cum ijs iudicio contendere velit, sed ut alias paris vel minoris conditionis personas, per adiectam clausulam, *Et quasdam alias,* conueniri possit, totum rescriptum irritum censendum esse, quia sua cuique fraus & dolus prodesse non debet.

SUMMARIUM.

1. Liberalitas est propria Principum.
2. Causæ vel negotia committi possunt vni, sine specifica eorum expressione.
3. Clausula generalis seu indefinita subsequens ordinariè restringitur ad similia ijs, quæ præcesserunt.

M 2

Item

Item dictio alius, alia, est implicatiua simi-
lium.

4. Subinde tamen diuersorum, & quando-
que etiam maiorum comprehensua, pro
ratione intentionis disponens, quæ tum
ex subiecta materia, tum ex ipsa verbo-
rum constructione, seu loquendi modo
colligitur.
5. Corruente parte principali rescripti ob
subreptionem falsi, corruit etiam pars
accessoria.

NOTANDVM I. Principem decet esse
beneuolum, ac liberalem, uti hinc indica-
tur, iun. Gl. ver. liberalem, & sumitur ex c. 1.
de donat. & reg. 16. in 6.

NOTANDVM II. Licet in rescriptis, in
quibus causæ delegantur, Iudices exprimi
debeant, uti supra dictum in c. ad hæc hoc tit.
Causæ tamen seu negotia vni committi pos-
sunt sine specifica eorum expressione: Cum
non sit tantum periculum: quandoquidem
delegatio fieri potest viro prudenti & in re-
bus versato, qui causas, quamuis plures &
varias, iuste definiat. Quare interdum Iudi-
ces in certo loco delegantur ad vniuersitatem
causarum, uti dicitur in tit. de off. delegati,
hoc libro.

NOTANDVM III. Qui super diuersis cau-
sis, aut contra diuersæ conditionis personas
rescriptum impetrat, in quo quædam nego-
tia expressa sunt, aut quædam personæ, con-
tra quas in iudicio contendendum sit, nomi-
nata; adiecta clausula generali, seu indefinita
& alia negotia, & contra alias personas; in
ea clausula censerī non debent comprehensa
negotia maiora; sed tantum æqualia aut le-
uiora; sed nec personæ maiores seu dignio-
res, sed tantum æqualis aut minoris condi-
tionis comprehenduntur.

Ex his tradi solet regula, quod clausula
generalis seu indefinita subsequens, ordina-
riè restringitur ad similia ijs, quæ præcesse-
runt, secundum Anton. hinc n. 10. Abb. n. 1. &
9. Decium n. 2. Item, dictio *alius, alia*, est im-
plicatiua similitum, uti hinc Imola notat n. 19.
Felin. n. 6. & alij mox citandi.

Afferenda enim sunt traditæ doctrinæ ex æ-

pla: Primum ex Innoc. c. ex literis 7. de iure
patr. ver. non exempto, Abb. hinc n. 2. Si Epi-
scopus alicui dicat, *Dono tibi villam, & om-
nia iura, seu alia iura, quæ inibi mihi compe-
runt*, non comprehenduntur iura spiritualia,
v.g. ius decimarum: Quia clausula genera-
lis, & omnia iura, seu alia iura restringitur
ad talia, cuiusmodi antecesserit, videlicet tem-
porale prædij. Excipie, Nisi spirituale talis
naturæ sit, ut cum re temporali accessoriè
transseat, videlicet ius patronatus, cit. c. ex li-
teris.

Alterum ex Baldo in l. A procuratore C.
mandati, quod commendat hinc Imola n. 1. r.
Si Baro alicui dicat, *Vendo tibi hoc prædium
& omnia iura, quæ mihi ibi competunt*, non
comprehenditur vectigal ibi constitutum,
nec locus gladij aut furcæ, quo merum im-
perium continetur. Quia clausula generalis
adiecta restringitur ad talia, cuiusmodi speci-
ficè antea fuerat expressum: videlicet præ-
dium, atque adeo iura omnia, quæ commu-
niter prædio annexa esse, siue cum eo vendi
solent, comprehenduntur: Non autem ea,
quæ, ut maiora, specialem expressionem re-
quirere videntur. Eapropter docuit etiam
Zafius in l. Imperium, in fine, ff. de iurisdic-
t. omni. iudicium, si Princeps in aliqua villa, pa-
go, aut oppido iurisdictionem alicui conces-
serit, ea concessione non venire merum &
mixtum imperium. Præterquam, si dicatur,
largissimam vel omnimodam iurisdictionem
tribui, secundum Gl. in Clem. vn. ver. omni-
modam, de for. comp. quod *iurisdic-
tio omni-
moda sumitur ut genus, comprehendens etiam
merum & mixtum imperium* l. 3. & 4. ff. de
iurisdic-
t. omni. iudicium. Et annotauit Eman.
Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 20. a. 4. in fine, quod
signum vniuersale adiectum voculæ *alius* an-
nulat dispositionem, atque comprehendit fa-
cit etiam maiora expressis, ut si Pontifex fa-
cultatem tribuat absoluedi à certis casibus
expressis, postea verò adijciantur verba, &
aliis qualitercunq; enormibus, comprehendit
etiam maiora expressis, & quomodocunq;
reseruata. Quamquam etiam hæc doctrina
limitari debet, si vel ius, vel stylus Curie spe-
cialem expressionem postulet, tum sub gene-
ralita-

rasitate ea verborum non comprehensa censetur specialiter referuata, vid. Casus Bellæ Coenæ Domini, maximè hæresis, sicuti docet lib. 1. moral. Th. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 2.

Tertium est apud Lud. Molinam tr. 2. de iustit. disp. 495. n. 19. Si colonus casibus fortuitis quibusdam in specie expressis renuntiet, clausulamque generalem adiciat, & *caeteris fortuitis casibus*, intelligi debet de æqualibus & minoribus, non item de maioribus ac magis insolitis, arg. huius c. & Clem. 2. de Procurator. Secus tamen dicendum videtur, si clausula exuberans, & *aliis quibuscunque, qualitercunque, incidentibus*, appolita sit.

Quartum apud Nicol. Euerardum in locis argumentorum, loco 5. Si dispensatum sit cum Titio, ut quæcunque beneficia simplicia, quæ sunt in diocesis Germaniæ superioris, ac inferioris, consequi possit, & postquam ad ætatem legitimam videl. 25. annorum peruenerit, duo curata aut aliis incompatibilia ubiuis locorum existentia, acceptare possit; restringi debet generalitas ubiuis locorum ad beneficia curata, quæ in Germania superiore aut inferiore vacantia sunt.

Quintum ex Scævola I. C. in l. emptor 48. §. Lucius ff. de pactis: Quidam mercator acceptis à numulario rationibus dati & accepti, cum ipso conuenit, ut si præterea aliquod instrumentum debiti reperiatur, pro casso & inutiles haberetur; clausula huius remissionis duntaxat intelligitur de debitis in genere cambij, de quo mentio antecesserat.

Sextum ex Proculo in l. vlt. §. cui dubia, ff. de tritico, vino, vel oleo legato: Si testator ita legarit: *Vinum amphorarium, Aminum, Græcum, & omnia alia dulcia Titio dentur*; non de alijs rebus dulcibus intellexisse putandus est, nisi quæ potionis sunt.

Septimum legi potest apud Matth. de Afflictis decis. 244. Ducissa Calabriæ in testamento suo legauit certam pecuniæ summam *Ecclesie S. Ianuarii, & ecclesie S. Arpini, & alijs sanctis Patronis Neapolitanis*: Cum autem in ecclesia S. Ianuarij sepulta

essent quatuor corpora sanctorum Patronorum Neapolitanorum. Atque item in ciuitate Neapolitana essent aliæ ecclesiæ sub nomine seu titulo eorundem sanctorum Patronorum; dubitatio inde orta est, num per eas voces & *alijs sanctis Patronis Neapolitanis*, testatrix legare voluerit ecclesijs in honorem Patronorum dedicatis: an verò ecclesie S. Ianuarij, in quo eorundem corpora requiescunt. Respondit Afflictis cit. loco; Quod illa dictio, & *alijs Sanctis*, posita in legato, est implicatiua similitum; & facit positionem eiusdem qualitatatis, quando ponitur inter ea, quæ sunt eiusdem rationis. Et sic cum testatrix primò legauit ecclesijs, & postea dixit, & *alijs Sanctis*, intelligitur legasse ecclesijs dictorum Sanctorum. Et postea: Nec debet esse in consideratione, quod dixit, & *alijs Sanctis*, & non dixit *Ecclesijs Sanctorum*. Quia secundum vulgarem usum loquendi faminarum, cum volunt nominare ecclesias, nominant Sanctos. V. g. cum vult aliquis nominare ecclesiam S. Petri martyris, dicit, Lego S. Petro martyri: intelligitur autem de ecclesia S. Petri martyris: quia legata sunt ecclesijs Sanctorum, & non Sanctis, qui sunt in celo. Quam ipsam doctrinam tradidi in censuris contra Astrum inextinctum, p. 2. cens. 9.

Atque hæc quidem, quæ dixi, ita se habent: Non potest tamen omnino generalis doctrina tradi de voce *alijs*; prout rectè annotauit Gl. in c. deinde 3. ver. cum cæteris, d. 26. Anton. hic n. 10. & alij quos refert Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 20. n. 3. Sed in primis spectandum est, quænam fuerit mens seu intentio disponentis, quæ partim ex subiecta materia, de qua agitur; partim verò ex ipsa verborum constructione, seu loquendi modo colligetur: Exinde interdum apparebit, vocem *alijs* non esse implicatiuam similitum; sed diuersorum comprehensiuam, vti videre est Luc. 23. v. 32. Quandoque etiam maiora complectentem, quam expressa præcesserunt; præsertim si signum generale adiectum sit: dummodo, sicuti supra dixi, excludantur extraordinaria, insolita, & de quibus probabiliter, ne in genere

genere quidem, cogitatum fuit, iuxta reg. 81. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quae quis verisimiliter non esset in specie concessurus.*

NOTANDVM IV. Propria fraus ac dolus nemini patrocinari debet, vti etiam habetur in c. seq. c. 2. de dolo & cōtumacia, c. 1. de eo qui duxit & c. c. dictum 4. iun. Gl. ver. fallaciam, causa 30. q. 1. l. verum 64. §. Tempus autem, ff. pro socio, ibi; *Nec enim aequū est, dolum suum quemquam releuare*: Ne inde aliquis commodum reportet, vnde pœnam meretur, quod æquitas non patitur.

NOTANDVM V. Si pars principalis rescripti ob subreptionem falsi corrui, etiam pars accessoria seu ab ea dependens corrui debet. Etenim in casu huius c. potissimum Papa delegauit Iudices ad expedienda negotia expressa; ad alia verò non expressa concomitanter, ac veluti accessoria. Cùm itaque ob simulationem & mendacium impetrantis rescriptum circa expressa corrui, mirum non est etiam circa adhaerentia siue concomitantia corrui, vti colligitur ex verbis postremis c. *Careat penam impetrantis.*

CAPITVLVM XVI.

Ex tenore.

PARAPHRASIS.

Romanus Presbyter de Collouilla literas à Sede Apostolica impetrauit contra Abbatem de Becco, cùmque earum vigore Iudices delegati Abbatem citassent, Romanus noluit coram eis contendere. Postea verò alias literas ad alios Iudices super eadem causâ à Papa impetrauit, nullâ in eis factâ mentione literarum priorum: coram his iudicibus Abbas vocatus noluit respondere, quòd diceret se vi priorum literarum à prioribus iudicibus, quorum potestas reuocata non sit, citatum comparuisse, & respondere paratum fuisse. Hac re ad Innoc. III. delatâ, respondet, Romanum vtriusque rescripti com-

modo carere, vt neutro vti possit, ne fraus ipsi sua patrocinetur.

SVMMARIVM.

1. *Coram iudice citatus comparens, si in eadem causâ ab alio citetur, exceptionem declinatoriam apponere potest.*
2. *Rescriptum presentatum iudici, iurisdictionem ei tribuit, & impetrans, citato & comparente reo, non potest illi renuntiare sine consensu partis aduersae.*
3. *Rescripta diuersa contra aliquem super eadem causâ ad diuersos iudices, non factâ mentione prioris in posteriori, & vtroque vtiens, perdit commodum vtriusque.*
4. *Dum autem neutro vsu est, potest vti priore, posteriore autem non nisi in casu, quo ex circumstantiis apparet, bonâ fide & ad cautelam illud esse impetratum: vel prius ob aliquem defectum sit nullum, aut per exceptionem elisibile.*
5. *Facultas alicui concessa ad aliquem actum intelligi debet de efficaci, qui possit habere effectum.*
6. *Verbum Careat in lege pœnali importat sententiam priuationis ipso facto incurrendam.*

NOTANDVM I. Si quis coram Iudice citatus comparuerit, & postea coram alio super eadem causâ citetur, declinatoriam exceptionem apponere potest, quòd vbi lis coepta est, etiam finiri debeat, l. 30. *Vbi acceptum* (etiam per citationem, ait Gl. ibi) *est semel iudicium, & ibi finem accipere debet.* Item, si duo iudices ordinarij, aut delegati concurrentem habeant iurisdictionem, & vnus eorum per citationem praeueniat, alter pendente lite, se intromittere non potest, c. cùm plures 8. de off. delegati, docet Andr. Gaill lib. 1. obseru. 29. n. 5. & obser. 32. num. 9.

Adde, quòd in casu huius c. Iudici per praesentationem literarum non tantum iurisdic-

risdictio acquisita fuerit; sed insuper etiam, post factam citationem, si reus ad defendendum se comparuit, rescriptum vtriusque partis commune factum sit, cui proinde impetrator absque alterius consensu renunciare non potuit. Quæ de re Abb. hic n. 1. Innoc. in cap. conuestione, de rescript. spoliato. rum.

NOTANDUM II. Qui contra aliquem super eodem negotio ad diuersos iudices diuersa rescripta impetrat, nullâ in posteriore factâ mentione prioris, propter malitiam & commissum dolum, ipso iure vtrumque perdit. Hæc est principalis decisio huius c. Pro cuius pleniore intellectu, aduertendum; Quod hæc sit pœna à sacris canonibus inflicta, sicuti hic apparet, & in c. vlt. hoc tit. Verba autem legis pœnalis intelligi debent cum effectu, c. hæc autem verba 17. vbi Nauarr. n. 9. d. 1. de pœnit. Idem Nauarr. & in tract. de alien. rerum eccles. n. 19. 20. Idcirco concludit Gl. hinc communiter recepta, ver. comodo, & alia Gl. in c. dispensa 3. ver. fuerit, eod. tit. in 6. Pœnam hanc non incurri, nisi impetrans rescripto vtroque usus fuerit.

Sed QVÆSTIO est, dum neutro usus fuit impetrans, num in eius optione sit, vtro eorum vti, seu iudicibus præsentare malit? Respondeo & Dico primò; Certum est, quod vti possit priore; cum per posterius, in quo nulla mentio prioris facta, reuocatum aut infirmatum non fuerit. Secundò; Si, omisso priore, posterius præsentet, præsumptio doli subest; Atque ideo per exceptionem subreptionis elidi potest secundum rescriptum. Veruntamen, si ex circumstantiis appareat, bonâ fide, & ad cautelam impetrâsse secundum; quia timebat iudicem per prius rescriptum delegatum moriturum, aut in terras remotas discessurum, vtrumque rescriptum firmum censei debet; ita vt etiam priore omisso, vti possit posteriore, secundum mentem Gl. hic ver. comodo, Anton. n. 8. Abb. n. 5. licet aliter Cardinal. Hostiensis. Tertiò; Si literæ prius impetratæ ob aliquem defectum nullæ fuerant, firmæ sunt posteriores ad alios iudices, etsi in ijs nulla

mentio priorum fiat, sicuti docet Gl. recepta in c. cum nostris 6. ver. vacaret de iure, de concess. præb. ex reg. 52. in 6. *Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum.* Quartò; Idem probabiliter dicitur, si priores literæ, seu rescriptum prius impetratum per exceptionem elidi poterat, firmum fore posterius ad alios iudices, nullâ prioris factâ mentione, vti docuit Gl. fin. hic. Abbas n. 6. Decius n. 5. & alij plerique argum. si dari stipuler 25. ff. de verb. oblig. vbi dicitur, quod quasi nullum, siue inutile censetur, quod per exceptionem tolli potest. Item argum. c. plerumque 23. hoc tit. vbi narratur, rescriptum posterius, in quo nulla mentio facta est prioris ad alios iudices dati rescripti, non valere; cum tamen non ipso iure irritum fuerit, sed tantum ope exceptionis

Porro ex ipsâ doctrina, allègatâ Gl. fin. huius cap. Nauarrus in tract. de redit. eccles. q. 3. mon. 9. n. 3. Suarez tom. 3. de relig. lib. 8. de paupert. cap. 16. n. 15. regulam colligunt; Si facultas alicui concessa sit ad aliquem actum, intelligi debere de efficaci, seu qui possit habere effectum; Ideoque facultatem à Pontifice concessam v. g. Religioso testandi de bonis acquisitis ex redditibus ecclesiasticis, non restringi ad primum testamentum; cum illud perfectum non sit, dum testator vivit, sed suapte naturâ reuocabile sit; Poterit itaque Religiosus, recedendo à prioris sua voluntate aliud, & aliud condere testamentum.

NOTANDUM III. Verbum *careat* positum in lege pœnali, videtur significare sententiam priuationis ipso facto incurrendam, sicuti hic annotauit Felin. n. 16. & 17. & sumitur quoque ex c. præced. in fine, *careat penitus impetratio.* Ratio est; quia iste loquendi modus significat executionem siue effectum ex imperio ipsius legis, seu lætæ tunc sententiæ, oriturum. Videri potest Franc. Suar. de censuris disp. 3. sect. 3.

* * *

CAPL

CAPITVLVM XVII.

Cùm adeò.

PARAPHRASIS.

Petrus Clericus in Ecclesia Modicensi sufficientem sibi præbendam consecutus, postea impetrauit à Papa literas, quibus eidem Canoniarum in Ecclesia de Gronzola conferri iubebat. Eo intellecto, Archiepiscopus Mediolanensis scripsit ad Innocentium III. mirari se tale rescriptum à Sede Apostolica emanasse, &c. Respondet Papa, mirari eum non debuisset, cum ex literarum tenore apparere potuerit, eas per subreptionem obtentas fuisse, quandoquidem de præbenda Petri, & quòd Canonicus esset Modicensis, nulla in ijs mentio facta fuit, imò nec quòd Clericus esset, insuper in literis Papalibus conditio adiecta erat, si ad ecclesiasticum Ecclesiæ Gronzalensis beneficium dignus existeret.

SUMMARIUM.

1. *Habenti beneficium congrue sustentationi, pro qualitate persona sufficienti, non debet aliud conferri.*
2. *Omissio in rescripto alicuius, quod iuxta stylum & formam Curia Romana est necessario exprimendum, reddit illud obreptitium, & quidem ipso iure irritum.*
3. *In rescripto ad beneficium conferendum addi solet, vel subintelligitur conditio, si nullum canonicum impedimentum ei obset.*

NOTANDVM I. Habenti beneficium ecclesiasticum, quod ad decentem sustentationem, spectatà qualitate personæ, sufficienti sit, non debet aliud conferri. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. ver. sufficientem, & ex c. postulasti 27. hoc tit. Ratio est: Quia ex abundantia reddituum ecclesiasticorum sequitur clericorum luxus, vanitas, & ecclesi-

astica disciplina relaxatio; item Ministrorum paucitas, & clericorum aliorum inopia; consequenter cultus diuini diminutio. Et adeò quidem in Ecclesia Christi vsitatum erat, vt habenti beneficium sufficiens aliud non conferretur, vt Archiepiscopus Mediolanensis miratus hinc fuerit, tale à Sede Apostolica mandatum emanasse: Neque verò Pontifex Innocent. III. admirationem reijcit; sed ait, ex literarum tenore colligi potuisse, eas obreptitias & irritas fuisse. Adde Trident. Concil. sess. 24. cap. 17. de reform. *Cùm ecclesiasticus ordo peruerteretur, quando vnus plurimum occupat officia clericorum, scilicet sacris canonibus cautum fuit, neminem debere in duabus ecclesiis conscribi. Verùm quoniam multi improba cupiditatis affectu, se ipsos, NON DEVM decipientes, ea que bene constituta sunt, varijs artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere nõ crubescunt, sancta Synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens, presenti decreto (quod in quibuscunque personis, quocunque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obseruari) statuit, vt in posterum vnus tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo vtrumque personale residentiam non requirat, eidem conferri.*

NOTANDVM II. Rescripta ex Curia Romana promanantia diligenter inspici, & considerari debent; vtrum stylus seu forma scribendi obseruata fuerit; vtrum aliquid tacitum, seu omissum, quod necessario erat exprimendum; Exinde enim apparebit nonnunquam obreptitia esse; & quidem ipso iure irrita, nec executioni mandanda, si sint rescripta gratiæ, aut beneficialia, vel dispensationes, vti dixi in c. 2. hoc tit. & habetur in c. constitutus 19. eod. & tradit hinc Baldus n. 9. Fuerunt autem in his literis duo omissa, quæ necessario, secundum Curia stylum, exprimenda erant: I. Quòd impetrans aliud & quidem sufficiens beneficium haberet: Id cum in Pontificis literis non contineretur, conse-

consequens est, neque in supplicatione positum fuisse, adeoque obreptitiè literas impetratas, tacito videlicet eo, quod si sciuiisset Pontifex, petitioni non annuisset, sed nec rationabiliter annuere potuisset. II. Quòd impetrans rescripti clericus esset: nam & id in beneficialibus rescriptis, secundùm Rom. Curia consuetudinem, exprimi debet, vti ex textu colligitur, & docet Anton. n. 9. Abb. n. 2. Propterea quòd laicus ecclesiastici beneficii capax non sit, c. 2. de institut. Nam beneficium est ius quoddam spirituale, quod in laicum non cadit. Videri potest Azor tom. 2. lib. 6. c. 2. q. 5.

3 NOTANDVM III. In rescripto ad beneficium conferendum, addi solet, vel, etsi non addatur, intelligi debet, conditio, si persona, pro qua scribitur, ad beneficium illud idonea, ac digna sit, siue, si nullum canonicum ei obstat impedimentum, vt videre est in c. veniens 13. de renunc. ybi id notat Ioan. Andreas num. 1. & videri potest Nauarr. in c. si quando except. 11. n. 1. hoc tit.

CAPITVLVM XVIII.

Causam.

PARAPHRASIS.

1 Pro intellectu huius c. ante omnia sciendum est, quòd lib. 2. de oretal. extet tit. 6. Vt lite non contestata, & c. non procedatur ad restitutum receptionem, vel sententiam definitiuam. Id verò intelligi debet iure ordinario, & exceptis casibus extraordinariis, qui afferuntur in c. vlt. §. porro, eod. tit. Quare si Iudex, controuersia ad ipsum delata, in citatione peremptoria dicat, seu comineretur, se, nondum lite contestata, contra reum absentem etiam processurum esse ad testes recipiendos, & sententiam definitiuam proferendam, aut si Iudici delegato ea procedendi potestas committatur, tum consuetum & necessarium est, vt clausula adiungatur, quantum de iure poterimus, sicuti videre licet in c. tum ex literis 5. de in integr. restit. c. cum dilecti 5. de dolo & contumacia. Est enim ea clausula

limitans, siue restringens ad casus, in quibus ita procedere de iure concessum est.

SUMMARIVM.

1. Lite non contestata, non potest procedi ad restitutum receptionem, vel sententiam definitiuam iure ordinario, & exceptis casibus extraordinariis.
2. Rescriptum iniustitiae debet intelligi secundum ius commune, ita vt nihil ei contrarium decernat.
3. Secus est de privilegio Principis proprie dicto, & statuto particulari.
4. Si concepto falso rescripto, aut legis intellectum Iudex processum iudicium instituit, rescindi debet, aut irritus declarari, in quantum in eo erratum est.

2 NOTANDVM I. Rescriptum iustitiae ita interpretari conuenit, vt iuri communi congruum sit, seu nihil communi iuri contrarium decernat, tametsi necesse sit à proprietate verborum recedere, vel adiectam clausulam transponere, vti hic docet Gl. in notandis, & ver. precedat. Anton. n. 5. Abb. n. 1. Decius n. 1. Gaill. lib. 1. obs. 33. n. 6. & sumitur ex hoc c. Tametsi enim, vti Anton. hic animaduertit n. 6. clausula in medio posita non solet ad omnia, siue vtrumque extremum referri, tamen in casu huius rescripti respondit Innoc. III. Papa, ad vtrumque referendum esse, videlicet ad probationes recipiendas, & ad definitiuam sententiam procedendum esse, quantum de iure concessum est: quandoquidem ita communi iure decretum est, à quo Princeps in rescriptis iustitiae nequaquam recedere solet. Adde, si in eiusmodi casu ordo aut constructio verborum aliter defendi non possit, praesumendum, à scriptore transpositionem, aliamue mutationem factam esse, qui error veritati obesse non debet, l. errore 7. & l. ambiguitates 24. C. de testam. & satis colligitur ex textu huius c. iun. Gl. ver. fuerat inferenda.

3 Cæterùm alia ratio est de Principis privilegio proprie dicto: Ad eius enim rationem pertinet, vt sit alicuius rei contra ius commune ex Principis beneuolentia concessio,

N sicut

sicut notauit Gl. in c. 1. ver. noscatur. de conflict. in 6. & dixi in c. 1. in not. 3. dicto 3. de rescript. Quomodo autem eiusmodi priuilegia in dubio interpretanda sint, videl. plerumque strictè, vt quàm minimùm, salua proprietate verborum, iuri communi derogent. Item, quòd omnia Principis beneficia ita intelligi debeant, vt iuri alieno acquisito nihil præiudicij afferant, docui copiosè lib. 1. moral. Th. tract. 4. c. 23. n. 5. & 6. & videri potest Felin. hinc n. 7. & seqq. Azor tom. 1. moral. Instit. lib. 5. cap. 23. q. 2.

Alia item ratio est de statuto particulari: Id enim frequenter contra ius commune editur; dummodo statuentes tali potestate præditi sint. Quare licet verba statuti, si commodè fieri possit, ita interpretari conueniat, vt cum iure communi consentiat, e. cum dilectus 8. de consuetudine; non tamè ita, vt verba ad sensum improprium aut insolitum trahantur, prout per sensum cõtrarium colligitur ex eod. c. cum dilectus. & notauit Abb. hinc n. 6. vbi ait, rescriptum iustitiæ non ea intentione prodire, vt aliquid addat communi iuri, quomodo interdum particularia statuta eduntur.

4 NOTANDVM II. Si concepto falso rescripti, aut legis intellectu, iudex processum iudicium instituit, rescindi debet, aut irritus declarari, quatenus in eo erratum est: secus, vbi erratum non fuit. Ita sumitur ex textu, & docet Glossa in notandis; solum illud reuocatur, quod est illegitimè factum.

CAPITVLVM XIX.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Paulus Clericus à Cælestino III. literas impetrauit ad Decanum & Capitulum ecclesiæ Bituricensis, quibus mandabatur, vt ipsum Paulum in canonicum reciperent, eique præbendam, si vel tunc vacaret, vel proximè vacatura sit, conferrent. Cùm autem Capitulum mandatum implere negligeret: idem Pontifex datis lite-

ris, quas vocant executorias, huius rei executores constituit. Interim mortuo Cælestino successit Innocentius III. coram quo controuersia hæc iterum agitata, proponente in sui defensionem Capitulo, literas illas subreptitias fuisse, propter taciturnitatem veri, quandoquidem numerus Canonicorum in ecclesia Bituricensi iuramento confirmatus, & à Sede Apost. approbatus sit, cuius rei nulla in literis mentio fiebat. Hoc intellecto, scribit Innoc. III. ad Archiepiscopum Senonensem, si intellexerit numerum canonicorum iuramento constitutum fuisse in ecclesia Bituricensi, priusquam Paulus literas executorias à Sede Apost. impetrasset, irritum esse declarat: quidquid earum literarum vigore factum fuerat. Sin autem aliter se res habere compererit, videl. numerum canonicorum eo tempore stabilitum non fuisse, tunc faceret illi in canonicum recepto præbendam, si vacauerit, assignari, sublato omni appellationis remedio.

SVMARIVM.

1. Rescriptum gratia derogans ecclesiæ alicuius statuto iurato, nullà eius factâ mentione, ipso iure irritum est; imò & illud, quod derogat iniurato statuto de certo numero Canonicorum.
2. Et si mentio fiat statuti, taceatur autem illud esse iuratum, rescriptum obreptitium & irritum censi debet.
3. Idem est, si taceatur ab impetrante in eo verum, etiam probabiliter ignoratum.
4. Arguens rescriptum ob taciturnitatem veri esse obreptitium, teneatur id probare.
5. Nisi intentionem suam super narratio fundatam habet.
6. Ad cognoscendum, an rescriptum ob taciturnitatem veri sit obreptitium, inspicitur tempus impetrationis, seu datæ literarum.
7. Vt rescriptum gratia, iustitiæ, & dispensationis propter expressionem falsi non sit obreptitium, debent narrata in eo vera fuisse tempore impetrationis, seu datæ literarum.

2. *Si rescriptum in parte principali propter obreptionem irritum sit, etiam eius pars accessoria irrita est.*

1 **NOTANDVM I.** Non valet rescriptum gratiæ, seu ad beneficium consequendum, derogans Ecclesiæ alicuius statuto iurato, nulla eius facta mentione. Ita sumitur ex hoc c. & tradit Gl. in notandis, Baldus n. 9. Abb. n. 5. Atque esse ipso iure irritum, colligitur ex fine huius c. iun. Gl. ver. irritum degernatis, & dixi supra in c. cum aded 17. hoc tit.

Adde primò: Tametsi statutum de certo numero canonicorum iuratum non fuisset, nihilominus eius mentio fieri debuisset, sicuti ex communi docet Anton. hic n. 5. & 6. Felin. n. 1. Imola n. 2. & dixi in c. 1. de rescriptis in fine, quòd rescriptum gratiæ aut beneficiale non derogat statuto ecclesiæ, nulla eius facta mentione; cum mens Pontificis non sit laudabili locorum consuetudini aut statuto præiudicium adferre, nisi exprimat, c. 1. de constit. in 6. Videri etiam potest Franciscus in c. ei cui, n. 5. de præb. in 6.

2 Adde secundo: Tametsi in literis Papæ mentio fiat statuti, si tamen taceatur, esse iuratum, obreptitiæ & irritæ censi debent, uti docet Baldus hic n. 9. Abb. n. 7. Imola n. 5. Felin. n. 3. cum ait, *Statuta iurata non tolli per generalem derogationem statutorum*, sicuti in simili tradit Gl. in Clem. vn. ver. pacta de sepult. quòd *pactum iuratum non tollitur per clausulam, Non obstante pacto.* Ratio dari debet, quia tametsi in eiusmodi statuto v. g. de certo canonicorum numero per iuramentum firmato, censeatur excepta auctoritas Superioris, vid. Papæ, uti docui lib. 4. Theol. moral. tract. 3. cap. 9. n. 4. in alter. condit. *Saluo iure Superioris*, tamen Papa difficilius solet statuto derogare, propter vinculum iuramenti; Quandoquidem duplex vinculum firmitus est, quàm simplex. Ideòque addi debet clausula derogatoria, *non obstante statuto, etiam iurato*, prout videre est in c. cum aliquibus 4. hoc tit. in 6.

3 **NOTANDVM II.** Rescriptum gratiæ irritum fit propter taciturnitatem veri, etiam probabiliter ignorati ab impetrante. Quia

obreptio ista non tam vitiat rescriptum ob culpam aut dolum impetrantis, quàm ob defectum voluntatis in concedente; si videlicet probabiliter non concessisset, si rem plenè cognitam habuisset. Ita notauit Gl. in c. seq. ver. literas dedissemus, Anton. hic n. 5. Abb. n. 1. Thom. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 56. & sumitur ex hoc c. quando Pontifex tantum responderet, attendendum esse, vtrum numerus canonicorum iuramento decretus tunc fuerit, cum P. Clericus literas impetravit.

NOTANDVM III. Circa verbum, *si vobis 4 confiterie.* Qui objicit, rescriptum obreptitiè propter taciturnitatem veri impetratum fuisse, tenetur id probare: cum id sit fundamentum exceptionis seu oppositionis factæ contra rescriptum. Ita sumitur ex hoc cap. & docet Ioann. Andr. in c. vn. de litis contestat. in 6. Anton. hic n. 7. Abb. n. 2. & 3. Baldus n. 1. Imola n. 3. Dec. n. 1. At verò quòd rescriptum obreptitiè impetratum non fit per suggestionem falsi, impetrans probare debet: videlicet quòd preces veritate nitantur, iuxta c. 2. de rescript. vbi id docui, & tradunt Abb. & Decius locis citatis. Idem Abb. in c. quia circa n. 3. de confang. & affin. Petrus Rebuffus in tract. de rescript. & liter. regius. in præfat. n. 56. argum. l. 2. ff. de probat. *Et incumbit probatio, qui dicit*, seu affirmat aliquid actum, *non qui negat.* Sed bene limitat Rebuff. Si 5 impetrans intentionem suam super narratis fundatam habet, non tenetur eam probare; sed aduersarius contrarium ostendere debet: Ut si parochus, in parochiæ possessione notoriè existens, impetret rescriptum pro decimis intra parochiam existentibus, arg. c. 2. de restit. spoliatorum, in 6.

NOTANDVM IV. Ad cognoscendum, 6 an rescriptum ob taciturnitatem veri obreptitium sit, necne, inspicitur tempus impetrationis, seu date literarum. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. communiter recepta, ver. impetrasset, & tradit Abb. in cit. c. quia circa, n. 4. & in c. dilectus 27. n. 9. de præb. Quemadmodum hoc idem fit in iuribus seu obligationibus ex contractu, ut attendendum sit tempus, in quo contractum fuit. Quare De-

cuius hinc n. 2. Quod exoptans de taciturnitate veri, teneatur illud probare secundum tempus; Vid. statutum de certo numero extitisse tempore impetrationis: Siquidem agens, aut exoptans probare tenetur asserta cum omnibus qualitatibus, sine quibus intentio sua subsistere non potest.

7 Eademq; ratione ut rescriptum obreptitium non sit propter expressionem falsi, necessarium est; narrata in rescripto seu iustitiæ, seu gratiæ aut dispensationis, vera fuisse tempore impetrationis, seu *date* literarum, sicuti habetur in cit. c. quia circa 6. de consang. & affin. ubi causa ad dispensandum in consanguinitatis impedimento, videl. proles nata, quæ Pontifici proposita erat, falsa dicitur; *cum anse dispensationem obtiniam, viam fuerit & nunc. sã carnis ingressa*. Videri potest P. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 3. o. n. 4. & n. 5. ubi admonet Ordinarios & Confessarios, quibus dispensationes à Sede Apostolica committuntur, ut precum veritatem cautè examinent: quia sæpè contingit, ut ea existere incipiat post concessionem Romæ factam: Ut si allegetur, feminam famæ iacturam passam esse ex frequente cum viro, cui nuptura est, conuersatione: infamia autem non nisi post tempus *datæ* dispensationis orta sit. Quæ de regi etiam in Theol. moral. lib. 1. tract. 4. c. 22. q. 2. Hic autem adiungo, Considerandam esse formam literarum, seu commissionis: quia interdum expediens siue mittens literas ipsemet non dispensat, sed iubet Commissarium dispensare v. g. super impedimento matrimonij, *si persone vere pauperes sint, & rationabilis causa urgeat, vid. scandalum, infamia, loci angustia, aut alia similis*; tunc sufficit, causas subsistere tempore dispensationis à Commissario faciendæ, argum. c. ei cui, 29. de præb. in 6.

NOTANDUM V. circa verba, *quidquid factum est occasione literarum, irritum decernatur*. Si rescriptum gratiæ, seu beneficiale, propter obreptionem in parte eius principali irritum sit, etiam pars accessoria ceteri debet irrita. Ita notant Abb. hinc n. 5. Dec. n. 2. & allegatis his verbis c. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 2. 1. n. 6. Nam principalis intentio

Papæ fuit mandare, ut Pancratius in canonicum reciperetur: quia verò Canonicus præbendâ diu carere non debet, adiecit, ut si aliqua vacaret, vel proximè vacatura esset, eidem conferretur: Cum itaque principalis pars rescripti, propter taciturnitatem de certo numero canonicorum obreptitia fuerit, etiam altera pars de præbenda seu redditibus ipsi assignandis, & quidquid occasione literarum actum fuit, corruere debuit. Dixi de hoc in simili c. cum ad eò 15. hoc tit. in fine, & videri possunt, quæ dicam c. ad audiendam 3. 1. infra, eodem.

CAPITVLVM XX.

Super literis.

PARAPHRASIS.

Dubium ortum fuit, quidnam sentiendum sit de literis à Sede Apostolica impetratis per taciturnitatem veri, aut per suggestionem falsi. Et alij quidem sentiebant tale rescriptum omnino irritum esse, ut impetrans nullum ex eo commodum percipere possit. Alij autem dicebant, licet secundum formam à Pontifice præscriptam, quippe subreptitiam, procedi non debeat, tamen iudices delegatos causam cognoscere, & sententiam ferre posse secundum formam aut ordinem iuris communis. Ad hanc dubitationem Resp. Innoc. III. distinguendum esse, utrum literæ cum taciturnitate veri, & suggestionem falsi impetratæ fuerint per malitiam & dolum impetrantis; an verò per simplicitatem ac ignorantiam. Primo casu in pœnam delinquentis omnino irritæ ceteri debent literæ, ut postquam iudici dolus sufficienter demonstratus fuerit, supersedeat causæ illius cognitione. In altero autem casu iudex attendere debet, num Papa, si falsitas suggesta non fuisset, aut veritas non occultata, nihilominus literas dedisset, licet non tali forma ac modo, tamen secundum formam iuris communis, tunc iudex nihilominus causam cognoscat secundum

iuris

iuris communis ordinem: An verò nullas omnino literas Pontifex dedisset, tunc iudex delegatus procedere non potest, nisi fortasse, vt partibus conuocatis cognoscat de qualitate & modo subreptionis, & verum ea fuerit ratio impetrationis literarum, ita vt Princeps causam nullo modo delegasset, si veritate cognouisset, tum etiam iudex cognitionis officium nullo modo impendat. Sin verò Princeps nihilominus causam delegasset, licet non tali forma aut cum talibus clausulis, tunc iudex cognoscat absque eiusmodi specialiter prescriptis formis, sicuti ius commune & ordinarium requirit.

S Y M M A R I U M.

1. Rescripta iustitia sub-vel obreptitia sunt, vel per taciturnitatem veri, vel per suggestionem falsi ad rem intrinsecè pertinentis.
 2. Vtraque obreptio accidit, aut fraude sine ex malitia, aut ex simplicitate ac ignorantia: in priori totum rescriptum fit irritum; non item in posteriori.
 3. Si Princeps cognitã veritate aut suggestã falsitate penitus non dedisset rescriptum; vitatur rescriptum propter obreptionem, cuiuscunque dolo aut culpa, vel etiam sine culpa contigerit.
 4. Et hoc non tantum locum habet in rescriptis iustitia, sed etiam in rescriptis gratia, & literis beneficialibus.
 5. Iudex delegatus debet conformare processum voluntati & intentioni delegantis.
 6. Circa legum civilium intellectum etiam in materia politica si diuersa sint DD. sententia, Pontifex decidere potest, & clara Iuris Canonici decisioni in utroque foro standum est.
- N**O T A N D U M I. ibi: tacitã veritate, vel suggestã falsitate. Rescripta iustitiæ duas ob causas subreptitia, seu obreptitia sunt; Primo per taciturnitatem veri ad rem per se, siue intrinsecè pertinentis; Secundo per suggestionem falsi, itidem intrinsecè ad rem spectantis, prout etiam colligitur ex l.

2. C. si contra ius &c. Idemque locum habet in rescriptis gratiæ, aut beneficialibus, prout ex communi docet P. Thom. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 2. n. 2. & seqq. Ratio est: Quia rescripta pendent ex voluntate iurisdictionem mandantis: gratiam, aut beneficium conferentis: Duo autem sunt, quæ voluntarium tollunt; & consequenter concessionem, aut mandatum, vel saltem formam, modumue eius irritum, vel infirmum reddunt; ignorantia veri dissimulati, & persuasio falsi suggesti.

Dixi autem id locum habere, si veritas dissimulata, aut falsitas expressa in rescripto sit rei per se & intrinsecè pertinentis ad negotium: quia si tantum extrinsecè, & per accidens se habeat, non vitabitur rescriptum, siue id iustitiæ, siue gratiæ sit; tamen si Princeps, si veritatem cognitam habuisset, rescriptum non dedisset. Exemplum est: Si ponamus, in Curia aliqua odium conceptum esse aduersus Belgas, v. g. Tum si Titius Belga rescriptum impetret, dissimulans se Belgam esse; aut dicens, ex Moguntia se oriundum, non vitabitur propterea rescriptum; tamen si fortasse si Belgam se esse confessus fuisset, illud minimè obtinuisset; quandoquidem, vt ponimus, circumstantia hæc, num impetrans Belga sit, an ex superiore Germania oriundus, ad causam siue rem, de qua agitur, per se nihil attineat.

Vtteriùs, tamen si veritas occultata, aut falsitas expressa ad rem per se & intrinsecè pertineat, si tamen ea non fuerit causa finalis & principalis factæ concessionis, sed impulsiva tantum; quia sine ea, adeoque perspectã veritate, Princeps idem, eademque formã mandasset, aut concessisset, esto, fortasse difficiliùs, non debet rescriptum obreptitium censerit, vt ex probabiliore docui lib. 1. moral. Theol. tr. 4. c. 22. n. 20. & tradit Sanchez cit. disp. 2. n. 17. 32. Nam falsitas causæ impulsivæ voluntarium non tollit: quandoquidem ea animum non mouet addandum absolute (siquidem etiam eã remota daretur) sed addandum libentiùs, citiùsq; Qua de re videri potest Alex. de Neuo in c. 3. de confirm. vt illic vel inutili.

Porro quibus in casibus res ita comparata sit, vt Princeps nihilominus concessisset, id vir prudens arbitrabitur, considerato stylo seu consuetudine Curia, negotij qualitate & circumstantijs, prout allegato Lapo alleg. 89. docet Matth. de Afflict. decis. Neapol. 106. n. 4. Sanchez n. 19. Vide etiam, quæ dicuntur in c. postulasti 27. hoc. tit.

NOTANDVM II. circa §. *Nos igitur*, Obreptio tam per taciturnitatem veri, quam per suggestionem falsi, duobus modis accidit: Aut fraude, siue ex malitia: Aut ex simplicitate ac ignorantia: Vbi nomine ignorantia, etiam crassam intelligere debemus; dummodo non sit ingens temeritas, ait Sanchez n. 66. & colligitur ex textu c. quando ignorantia fraudi opponitur ac malitia, quæ scientiam requirit & propositum circumueniendi saltem virtuale aut implicitum.

Discrimen autem inter obreptionem doloſam, eamque quæ ex ignorantia fit, ponitur in textu; Quod in priore, totum rescriptum, seu circa omnes eius partes irritum fiat; ita vt Iudex ne quidem secundum formam iuris communis, de causa principali cognoscere debeat; esto Princeps, etiam semotâ eâ obreptione doloſâ, dedisset nihilominus rescriptum, licet non eâ formâ, sed secundum terminos iuris communis. At verò in posteriore casu, locum habere debeat ea distinctio; vt, si Princeps, non interueniente obreptione, dedisset rescriptum, quamuis non in forma speciali, Iudex procedere possit secundum formam communem: nõ autem, si Princeps nullo modo dedisset.

Vt hæc res, quam variè disputando inuoluunt interpretes hic, clariùs intelligatur, in primis affero exemplum ex Abb. hic n. 2. Titius à Papa (vel inferiore Ordinario, videtur enim doctrina huius c. etiam huic applicari posse, teste Sanchez n. 4.) impetravit literas contra debitorem suum, falsò allegans, in ciuitate sua consuetudinem esse, vt lites summarie & de plano, non autem obseruato iudiciario ordine, cognoscantur: Propterea Papa, causam euidam commisit Iudici, adijciens, vt summarie & de plano procedat. Tum distinguendum, num impe-

trans sciens & volens falsum allegarit; an verò per ignorantiam. In posteriore hoc casu procedere debet iudex secundum formam ordinariam, seu communi iure obseruari solitam; saltem si aduersarius voluerit. At verò in priore casu integrum rescriptum euertere potest, vt iudex à cognoscenda causa desistere debeat.

Nunc verò aliqua declaranda sunt: I. Quod rescriptum iustitiæ vel omnino, si dolo impetratum sit; vel secundum partem corruere debeat, si per ignorantiam obreptio interuenit: intelligi debet, dummodo pars aduersaria excipiat seu opponat de subreptione, vt ex communi docet Anſon. hic n. 13. 15. 20. Imola n. 5, Abb. n. 5. Sanchez n. 76. post Gl. ver. nullatenus, Idq; sumitur ex textu c. ver. postquam iudici super hoc facta fuerit fides; videl. per probationes ad instantiam partis opponentis obreptionem; Aut si ex euidencia facti obreptio notoria sit, iuxta doctrinam Gl. in l. 1. C. Qui & aduersus quos restit. ver. in consil. ibi Baldus n. 7. Gaill lib. 1. obs. 3. n. 4. quod iudex supplet in facto, si notorium sit, etiam non petente parte. Itaque acquiritur delegato iurisdictione, vt procedere possit, donec obreptio notoria fiat in processu; deinde verò supersedere cogitur, vel omnino, vel secundum formam eam specialem, quæ propter obreptionem præscripta fuerat, vt supra explicatum.

II. Quod propter commissum dolum, Iudex penitus supersedere debeat, tamen si Princeps rescriptum dedisset in forma communi, si dolum non interuenisset; id non est ex natura rei, sed pœnæ loco constitutum, vt colligitur ex verbis c. in sua peruersitatis pœnam. Ex quo primò infert Sanchez cit. disp. 21. n. 71. post Decium super hoc c. in mea edit. in 6. Si partes rescripti sint penitus separatae, videl. super diuersis negotijs aut causis: subreptionem ex dolo seu mendacio contingentem in vna parte, nihil nocere alteri parti. Censentur enim veluti duo rescripta; Et cum constitutio huius c. pœnalis sit, extendi non debet; sed adhærendum regulæ iuris 37. in 6. *Vtile non debet*

per

per inutile vitari. Idque sumi videtur ex c. si eo tempore 9. hoc tit. in 6.

Secundò infert idem Sanchez n. 67. Si non ipse impetrans, sed sollicitator aut Curialis dolum commisit, ut rescriptum obreptione emanaret, non esse locum pœnæ; ut videl. totum rescriptum irritum sit, etiam si Papa nihilominus rescripisset, sed non secundum eummodum.

3. Cæterum, si Princeps cognitâ veritate, aut suggestâ falsitate penitus non dedisset rescriptum, vitiatum rescriptum propter obreptionem, cuiuscunque dolo aut culpâ, vel etiam sine cuiuscunque culpa contigerit, quia deest voluntas committentis; dummodo res quæ tacetur, aut falsò narratur, per se, siue intrinsecè ad negotium pertineat, sicuti supra explicauimus.

4. III. declarandum, Tametsi textus huius c. loquatur tantum de rescriptis iustitiæ, locum tamen etiam habere debet in literis gratiæ, ac beneficialibus, uti hîc docet Abb. n. 2. 5. 6. & 17. Decius n. 5. & ait esse communem Sanchez n. 54. Quare & in his distinguendum est, dolone an per ignorantiam obreptio contigerit; & si per ignorantiam, an Princeps nihilominus eandem gratiam dedisset secundum substantiam: Sin autem dolo, utrum pars rescripti, in quo dolum commissus, cohærens sit cum altera parte, an verò penitus separata, tunc enim pars gratiæ concessæ, in qua dolum admissus non est, non vitabitur, donec per Iudicis sententiam, in pœnam, rescindatur. Exemplum huius rei attuli in Theol. moral. lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 25. de eo, qui dispensationem in voto castitatis impetrauit, ad ducendam consanguineam; allegata causa incontinentiæ suæ, quæ verè suberat; & allegata causa, quæ penitus falsa erat, quòd ea alium maritum conditioni suæ parem reperire non posset: Hoc in casu dispensatio super voto, consistet; at verò dispensatio super matrimonio contrahendo irrita erit: & quidem ipso iure. Hoc enim discrimen semper suppono inter rescripta gratiæ, & rescripta iustitiæ; quòd illa per obreptionem irrita fiant ipso iure; hæc autem ope exceptionis, sicuti supra di-

xi in c. si autem 9. hoc tit. & tradunt DD. communiter apud Sanchez cit. disp. 21. n. 3. & n. 54.

Doctrina autem huius tertij declarandi partim sumi debet ex eo; quia si rescripta iustitiæ propter subreptionem irrita seu infirma redduntur, multò magis rescripta gratiæ, ac beneficialia; quippe cum hæc longè faciliùs infirmentur, prout Abb. annotauit n. 5. Decius n. 5. Partim verò ex eo, quòd distinctio illa, ut attendamus, num Princeps nihilominus gratiam concessisset secundum substantiam, necne, est ex rei natura; adeò ut tametsi hoc c. non emanasset, ita distinguere oportuisset.

IV. declarandum; Cur aliquoties dixerim, ad irritationem rescripti seu iustitiæ, seu gratiæ, referre, num Princeps, etiam cessante obreptione, eandem in substantia gratiam concessisset, aut rescriptum dedisset, necne. Si enim non eandem rem, eandemue gratiam concessisset, aut mandasset, sed aliam; adeòq; rescriptum aliud fuisset in substantia; irritum erit, quòd impetratum est. Exemplum affert hîc Innocent. ver. in communi forma, ver. Et nota quòd generaliter, Abb. n. 3. in fine; Titius impetrauit rescriptum contra Caium debitorem suum per ignorantiam seu obliuionem, ex causa mutui; postea coram iudice delegato libellum format ex causa empti ac venditi: Hoc in casu iudex procedere non potest, ne quidem secundum formam iuris communis: quia causa, quæ proponitur, secundum substantiam alia seu diuersa est ab ea, quæ comprehenditur verbis rescripti. Similis casus circa materiam beneficiale habetur in c. susceptum 6. hoc tit. in 6. eumque explicabo infra in cap. significante 34. hoc tit. Ratio huius doctrinæ seu declarationis ea est, quia exinde quòd de alia re Princeps scripisset, seu aliam rem concessisset, si obreptio non interuenisset, non sequitur, quòd eam concesserit, aut pro ea scripserit; sed potius contrarium; quia conditio non ponit rem in esse. Secus autem, si eandem rem in substantia, etiam sublatâ obreptione, absolutè mandasset aut concessisset: tunc enim adeest absolutè

soluta voluntas Principis: licet non secundum eum modum seu circumstantias, secundum quas propter errorem rescriptis.

5 NOTANDVM III. circa finem c. *Eadem ratio qua delegantem &c.* Iudex delegatus debet processum suum conformare voluntati ac intentioni delegantis, cuius vires agit, & à quo iurisdictio eius dependet, prout Abb. hic docet n. 3. Decius n. 4. & colligitur ex c. isto verbis allegatis, quando dicitur; post cognitam obreptionem, si appareat, quod delegans literas nullas dedisset, si obreptionem sciisset, quod etiam iudex nullatenus procedere debeat: secus, si delegans dedisset literas, saltem secundum formam communem: tunc etiam iudex ita procedere debebit.

NOTANDVM IV. ex tota huius c. decisione, maxime ijs verbis in principio positis, *diuersos intelleximus diuersa sentire*: Si circa legum ciuiliū intellectum, etiam in materia politica, diuersae sint Doctorum sententiae ac intellectus, Pontifex decidere potest: ita, ut utroque foro clarè iuris canonici decisioni inhaerendum sit. Ita docui etiam supra in c. 1. n. 9. de Constit. & hic tradit Anton. n. 11. Imola n. 1. Abb. n. 3. Hieron. Scharpf eent. 2. consil. 7. n. 1. Orta autem fuerat inter Legistas controuersia ex duabus legibus, quae inter se videbantur contrariae, vid. l. 2. & l. 1. et si legibus 5. C. si contra ius: Nam in priore dicebatur, praescriptione seu exceptione facta obreptione impetrati rescripti, iudicem de exceptione cognoscere debere, & iuxta eam cognitionem, de causa ipse sententiam ferre. At verò in l. posteriore habetur, ut mendax precator careat penitus impetratis.

CAPITVLVM XXI.

Edoceri.

PARAPHRASIS.

Literae à Sede Apostolica impetratae sunt contra Abbatem Ordinis Praemonstratensis, ad quarum tenorem coram iudice delegato respondere censatur, sublato

appellationis remedio. Sed quia causa communis erat Abbati & Conuentui, in literis autem Apostolicis nulla mentio fiebat Conuentus: ideo dubitabatur, an non Abbas appellare posset, si iudex declararet vigore literarum illum ad respondendum coram se obligari: Resp. Innoc. III. Abbatem (nisi alia rationabilis causa ipsi suffragetur) non posse per appellationem subterfugere, quò minus coram iudice delegato respondere teneatur: propterea quòd ad ipsum propriè pertinet Congregationis suae negotia procurare. Secus tamen dicendum fore, si negotia Conuentus omnino separata sint à negotijs Abbatis, ut ad illa administratio Abbatis se non extendat.

SVMMARIVM.

1. *Prelatus Regularis in causa ipsi & Conuentui Regulari communi conuenitur per rescriptum, in quo solet quidem fieri mentio Conuentus, non tamen necessario.*
2. *Prelatus solus absque sui Conuentus consensu requisito agere per se, & Procuratorem (non tamen vniuersalem) constituere, eumque reuocare potest.*
3. *Administratio plena & libera, adeoque etiam actio, & defensio in iudicio Prelato competit, tam in temporalibus, quam in spiritualibus.*
4. *Etiam Abbatisa & Priorissa habet liberam administrationem rerum Monasterij: & licet iurisdictionis spiritualis capax non sit, tamen ex commissione eius usum & executionem exercere potest in Moniales & Clericos beneficiarios, precipiendo etiam in virtute obedientiae.*
5. *Per consuetudinem tamen & statutum inroduci potest, ut saltem negotia ardua, grauisque momenti in Monasterijs Prelatus sine consensu, vel consilio Conuentus non expediat.*
6. *Conuentui praedicialia v. g. Monachorum receptio, non potest Prelatus agere*

agere absque Conuentus, aut maioris
partis consensu.

7. Administrationem plenam & liberam esse secundum canones penes Pralatos regulares, intelligendum est iuxta antiquam institutionem, quae eiusdem Ordinis ac regulae Monasteria, iura, & bona ita separat, ut vni communi ac generali Patri non subsint, secus est de aliis Religionibus v.g. mendicantium, in quibus immediati Pralati subsunt vni Generali.
8. In Societate Superior id potest, quod est ipsi concessum, non verò quidquid est ipsi non prohibitum.
9. Iure communi, & ex primariae vitae regularis institutione bona omnia Monasterij communia esse debent Pralato & Conuentui, speciali tamen iure consuetudinis, privilegij, statuti, maxime à Pontifice confirmati, ex causa rationabili bonorum & proventuum diuisio fieri potest.
10. Quaedam plerumq; noxia sunt Religionibus, & à paupertatis perfectione alienum.

NOTANDVM I. Tametsi ferme consuetum sit, ut in rescripto imperato in causa, quae communis est Pralato & Conuentui regulari, mentio etiam fiat ipsius Conuentus, tamen id necessarium non est. Hæc est præcipua decisio huius c. Ratio redditur in textu, Quia Pralati regulares ex officio tenentur Congregationum suarum negotia procurare. Itaque ita formatur argumentum: Ad eum propriè pertinet in iudicio respondere, causamq; defendere, ad quem rerum, de quibus agitur, administratio spectat, prout ex communi hîc notat Anton. n. 2. arg. iam dicti textus: At verò rerum communium Monasterij, siue regularis Congregationis, administratio à sacris canonibus Abbati siue Pralato concessa est, & quidem libera, siue independens à Conuentu, ut colligitur ex c. Abbatem 4. causa 18. q. 2. c. non dicatis 11. §. Cum huius, causa 12. q. 1. & docet hîc Imola n. 2. Abb. n. 2. & in c. 2. n. 2. de solut. Fel. n. 5.

Nauarr. in conf. vn. De his quæ fiunt à Præl. sine conf. Capit. & in comment. 2. de Regular. n. 64. vbi exinde colligit, quòd Prælatus nec Superioris licentiâ, spectato communi iure, ad agendum, vel respondendum pro bonis & iuribus Monasterij, indigeat.

Tradita doctrina ampliari debet primò, 2. Quòd sicuti Prælatus solus in iudicio stare potest pro rebus ecclesiæ suæ, ita etiam procuratorem, seu actorem constituere, eumque liberè reuocare, non petito consensu Conuentus, uti hîc Anton. docet n. 21. Abb. n. 8. & in c. vn. de Syndico n. 6. propter regulam receptam ex l. 1. ff. de procurator. quòd qui per se in iudicio contendere potest, is etiam per procuratorem. Si tamen vniuersalis procurator constituendus sit, ita ut officium Syndici, seu œconomi, suapte natura perpetuum, gerat, aiunt Innoc. hîc Abb. & Ant. citatis locis, requiri consensum Conuentus: quia id inter negotia ardua numeratur.

Secundò, Quòd administratio, eaque plena & libera, consequenter & actio, defensionisque in iudicio, Pralato competat non tantum in rebus temporalibus, sed etiam spiritualibus, quia tota potestas Monasterij penes Abbatem, seu Prælatum est, uti constat ex canonibus suprâ citatis, & videri potest Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. de Religiosis quatenus Prælati sunt, cap. 26. Quare solus, absque Conuentu, seu non requisito Conuentu, Regulares subditos suos corrigere potest, iuxta c. cum ad Monasterium 7. & cap. vlt. de statu Monachorum, & docet Ioan. Andr. in c. Ioannes n. 16. de Regul. Abb. in c. reprehensibilis nu. 11. de appell. solus item ordinare ea, quæ pertinent ad cultum diuinum, aut Ecclesiæ necessitatem, teste Abb. in c. ea noscitur n. 4. de ijs quæ fiunt à Prælatis & c. Tabiena in summa ver. Abbas num. 13. Ex quo colligunt Ioann. Andr. & Tabiena cit. locis, quòd non ita in rebus gerendis regularis Prælatus pendeat à Conuentu, sicuti Episcopus à Capituli consensu, aut saltem consilio, iuxta cit. tit. libr. 3. decret. de ijs quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli: propterea quòd ipsa Ordinis regula, maxime propter obedientiæ votum, plenam Abbati seu Pralato regulari super

O Regu-

Regulares suos, & Monasterium, potestatem tribuat.

- 4 Tertiò; Quòd & Abbatisa seu Priorissa habet liberam administrationem rerum Monasterij, prout docet Abb. in c. 2. n. 4. de his quæ fiunt à Prælati & c. Jurisdictionis autem spiritualis licet capax non sit, quamobrem nec excommunicare, nec alias propriè dictas censuras inferre potest: tamen ex commissione Prælatorum ecclesiasticorum usum quandam, seu potiùs executionem jurisdictionis in Moniales, & Clericos beneficiarios exercet. Unde & quodammodo Prælata dici potest. Quæ de re: videri potest Syl. ver. Abbatisa, & Theol. moral. lib. 1. tract. 5. p. 1. cap. 3. n. 3. Constat etiam: ex praxi Ecclesiæ, quòd Moniales votum obedientiæ edant erga Præpositam suam, quæ proinde illis præcipere potest, quod iustum est, atque conforme regulæ; ita vt ex religionis virtute, seu vi voti obedire teneantur: quæ de re Franc. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 1. cap. 12. n. 8. Quamobrem sentiendum est cum eod. P. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. n. 20. Azor tom. 1. Instit. lib. 13. cap. 10. q. 7. quòd Abbatisa non tantum administrationem politicam, aut domesticam (tanquam mater familias quædam) erga suas Moniales gerat: sed etiam spiritualem, ita vt spiritualia præcepta imponere, atque ad eò, si res exigat, in virtute S. Obedientiæ præcipere possit, quæ ad animæ salutem spectantia, & regulæ consentanea sunt: Licet contrarium existimârit. Domin. Sotus in 4. d. 20. q. 1. art. 4. Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 15. a. 1. Sanchez lib. 6. moral. c. 1. n. 21. & 30.
- 5 Limitari autem debet primò; Quòd per consuetudinem, similiterque per statutum: introduci in Monasteriis potest, vt Prælatus saltem ea, quæ grauiâ sunt, seu maioris momenti, sine consensu, aut sine consilio Conuentûs non expediat. Quare, quomodo in hac parte se gerere debeat Prælatus, ex ordinationibus & recepta consuetudine cuiusque Monasterij, petendum est. In dubio autem, præsumptio stat. pro Prælato ex iure communi: quippe cui, vt suprà dixi, plenam & liberam administrationem sacri canones concesserunt.

Secundò; Quæ Conuentui præiudicialia esse possunt, v. g. Monachorum receptio, quæ de re dixi Theol. moral. tract. 5. c. 5. n. 5. Item quæ ad statum ecclesiæ, seu monasterij, eiusque honorem spectant, vt si agatur de subiectione eius, aut membrorum ipsius, non potest Prælatus agere absque Conuentûs aut maioris partis consensu; cum ea ad iurium alienationem, seu amissionem tendere possint. Ita Anton. hic num. 8. Imolan. 5. Henr. Boich num. 5.

Tertiò; Quæ suprà dicta sunt de Abbatis & Præpositis regularibus, quòd secundum canones, plenam ac liberam rerum Monasterij administrationem, & consequenter in iudicio actionem, defensionemque habeant, intelligi debent secundum antiquam institutionem; iuxta quam eiusdem Ordinis ac Regulæ monasteria, iura & bona ita discreta ac separata habent, vt vni communi ac generali Patri, quoad earundem administrationem non subsint: At verò de aliis Religionibus, videlicet Mendicantium, in quibus vnus Generalis, eiusque subordinati Prouinciales, locorumque seu Monasteriorum, Collegiorum, immediati Prælati ita constituti sunt, vt hi vid. Guardiani, Priores, Rectores à Prouincialibus: Prouinciales verò ab vno Ordinis Generali, tanquàm membra vnus Corporis seu Congregationis totius ab vno Capite, tam quoad iurisdictionem, potestatemque in ipsos exercendam, quàm quoad ecclesias, monasteria, Collegia, bonorumque ac iurium administrationem, dependant (sicuti explicauimus in Censuris Altri inext. p. 1. loco 6. & p. 2. cens. 12. 13. 14.) aliter sentiendum; Videlicet quòd quanta subordinatis potestas tam quoad iurisdictionem, quàm quoad bonorum administrationem, facultatemque standi in iudicio, competat, ex singularum Religionum constitutionibus, consuetudinibus, ac priuilegiis colligi debet. Et quidem de Societate Iesv, in qua magna dependentia est inferiorum à Generali, ait Suarez tom. 4. de Relig. lib. 10. de regimine Societatis, cap. 5. n. 6. in Societate ad cognoscendum vnusquisque Prælati facultatem, vtendum potius esse affirmatiua, quàm negatiua regula, id est, id vnum quam

quemque posse, quod sibi est concessum, non vero quicquid sibi non est prohibitum. De liti-
bus autem forensibus, num suscipi possint,
necne, videri possunt, quæ 2. Congreg. gene-
rali Soc. IESV can. 45. habentur, & reg. 15. &
16. Procurator. Colleg.

9 NOTANDUM II. Et si spectato commu-
ni iure, & prima institutione vitæ cenobiti-
cæ, aut regularis, bona omnia Monasterij
communia esse debeant Abbati seu Præposi-
to, & Conuentui, vti colligitur ex c. Cum ad
Monasterium 6. de statu Monachorum, tamè
speciali iure consuetudinis, priuilegij, statu-
ti, præsertim à Pontifice confirmati, ex cau-
sa rationabili introduci potest bonorum di-
uisio, vt videlicet mensa Prælati, & mensa
Conuentûs, siue vtriusque prouentus sepa-
rati sint, vti colligitur ex hoc c. in fine, & do-
cent hîc Interpretes communiter, & fusè
Nauarr. in comment. 3. de regular. n. 9.

Quo ipso in casu bona, & prouentus ad
Conuentum spectantia non Abbatis, sed alte-
rius à Conuentu constituti Oeconomi, v. g.
Prioris conuentualis administrationi subie-
cta erunt: Poteritque Conuentus Procurato-
rem aut Syndicum arbitrato suo constituere,
ac reuocare; non requisito consensu Præ-
lati: præterquam si causa ad ipsum quoque
pertinere videatur. Quæ est communis do-
ctrina Anton. hîc n. 5. Abb. n. 6. Decij num. 9.
quæ similiter etiam locum habet in negotiis,
quæ propria sunt Capitali alicuius ecclesiæ
secularis.

Corollarium. In eiusmodi causa, seu nego-
tio quod Conuentûs aut Capituli proprium
est, non admittitur Prælati ad agendum, nisi
exhibeat mandatum, seu consensum Capitu-
li: Potest tamen absque mandato admitti, si
caueat, Conuentum postea rem ratam habi-
turum: quia eodem modo admitti solent per-
sonæ valde coniunctæ, vti dicitur infra hoc
tit. c. nonnulli 28. §. Sunt & alij: Est autem
magna coniunctio inter Prælatum, & Capitu-
lum seu Conuentum; cum vnum corpus
efficiant: Similiterque Capitulum seu Con-
uentus in causa Prælati per Syndicum seu A-
ctorem agere potest, si caueat Prælati rem
ratam se habiturum, qua de re Imola hîc n. 8.

Felin. n. 5. post Gl. in cap. 1. ver. legaliter, de
procurat.

Addendum verò est, plerumque noxium 10
esse Religiosorum Congregationibus, & à
paupertatis perfectione alienum, si bonorum
seu prouentuum diuisio inter Prælatum &
Conuentum instituat: Quamobrem con-
tra Prælatos, maximè Commendatarios Or-
dinis Cisterciensium, à Sede Apostolica ob-
tentum, atque constitutum fuit, vt omnia bo-
na monasteriorum & aliarum locorum dicti
Ordinis sint communia, prout explicauit in
Censuris p. 2. cens. 13.

Contra ea quæ in 1. not. dicta sunt, sentit
Gl. hîc ver. debeant, & alia Gl. in cit. c. 1. ver.
legaliter, de procurat. Prælatum regularem
non posse in iudicio pro iuribus aut bonis
monasterij communibus contendere, siue
per se, siue per Procuratorem aut Syndicum,
nisi Conuentûs consensus accedat. Nam qui
rem alienare non potest, is nec rem in iudi-
cium deducere potest, l. ait Prætor, 7. ff. de
iure deliberandi: Constat autem Prælatum
absque Conuentûs assensu, non posse alienare
bona immobilia, & mobilia pretiosa, quæ ser-
uari possunt: Ergo saltem in causis, in qui-
bus de eiusmodi bonis agitur, Prælati abs-
que Conuentu in iudicio contendere non
potest.

Oppositum verò huius docent hîc Innoc.
Ioann. Andr. Anton. Abbas, Imola, Felin. lo-
cis citatis, Henr. Boich n. 7. Nam quicumque
habet administrationem à lege, ij in iudicio
agere & conueniri possunt, vti apparet in tu-
tore comparatione bonorum pupilli, in patre
comparatione bonorum aduentitiorum filii-
famil. in marito comparatione bonorum do-
talium vxoris: Prælati autem administra-
tionem bonorum ecclesiæ suæ, à sacris cano-
nibus concessam, obtinet, & quidem pleniùs,
quàm v. g. tutor habeat, sicuti hîc Abb. anim-
aduertit n. 2. Interim tamen fateri debemus,
tutius & consultius esse, propter auctorita-
tem Glossæ, vt procurator ad expedienda ne-
gotia, & in iudicio contendendum constituat-
ur non solus Prælati auctoritate, sed etiam
Conuentûs interueniente consensu: Imò ne-
cessarium id esse videtur in rebus arduis seu

quæ magni momenti sunt, uti post Innocent. hic Abb. n. 6. & alij admonent.

Ad argumentum Glossæ respondetur; regulam eam in maiore propositione allatam, falsam esse in ijs personis, quæ in iudicio agunt, non proprio nomine, sed alieno. Nam v. g. tutor pro rebus pupilli in iudicio contendere potest per se, vel substitutum procuratorem; licet pleraque eius bonæ absque iudicis auctoritate alienare non possit. Ad l. Ait Prætor, dico, esse casum eum specialem; quod hæres, dum de adeunda hæreditate in deliberatione versatur, sicuti alienare ex hæreditate nihil potest, ita neque in iudicium aliquid deducere; cum hæreditate nondum adita, nec dominium rerum habeat, nec à lege concessam administrationem.

CAPITVLVM XXII.

Cum dilecta.

PARAPHRASIS.

Duæ Moniales monasterij Hesiensis, Regina & Gertrudis, apud Sedem Apost. contendeant super electione Abbatissæ: Regina quidem, quæ erat Custos monasterij, per se, Gertrudis per Procuratorem. Pontifex hanc causam imprimis commendauit Scholastico Hildensi & aliis cum mandato, ut ante omnia in illa perturbatione & litigio Administratorem abbatissæ constituerent, cui subtractorum ex monasterio resignatio seu restitutio fieret. Postea eadem causa demandata fuit Abbati de Remech, & aliis cum simili mandato, ut de subtractorum resignatione in manus Administratoris faciendâ prouideret. Verùm Innocent. III. circa utrorumque iudicum processum, cognitis difficultatibus, decreuit posteriorum iudicum processum infirmandum esse, quia literæ ad ipsos impetratæ subreptitiæ erant, quandoquidem eadem causa prius aliis iudicibus delegata fuerat, nullâ in secundis literis priorum factâ mentione. At verò priorum iudicum processum per se irritum ef-

se, quia illi formam mandati non obseruarunt, sed relicto articulo principali de prouidendo Administratore, & subtractorum resignatione faciendâ, de aliis articulis, videlicet ad electionem Abbatissæ pertinentibus inordinatè cognouerunt: quare denique hanc causam delegat Papa Archiepiscopo Magdeburgensi, ut restitutis Gertrude & aliis quibusdam Monialibus (quæ, uti videtur, ex monasterio eiectione erant) secundum formam mandati Apostolici in negotio isto eum rationis discretionem procedat.

SUMMARIUM.

1. Religiosus regulariter personam standi in iudicio non habet: habet tamen in quibusdam casibus, in quibus potest per se, vel per procuratorem in iudicio stare: Monialis autem tantum per procuratorem.
2. Rescriptum ad lites obreptitiè impetratum non est ipso iure irritum, sed ope exceptionis irritari potest.
3. In scripturis ordo verborum attendi debet, & quod prius precipitur, ante alia expediendum est.
4. Et qui prior nominatur, is censendus est dignior.
5. Dum vacat ecclesia regularis, Administrator interea à Superiore deputari debet.
6. Forma mandati seu commissionis facta obseruanda, alias processus irritus est. Si ea non sit mere iuris communis, sed à delegante de nouo prescribatur, & sit substantialis.
7. Censetur forma substantialis, quando ea in mandato, alio modo, aut in alium finem exprimitur, quàm ius commune requirit.

NOTANDVM I. Licet regulares utriusque sexûs in iudicio per se, vel per alium, ordinariè loquendo, contendere non possint, excipiuntur tamen casus speciales, inter quos vnus est, in causâ electionis suæ ad Prælaturam, aliâque dignitatem vel officium. Alios casus refert Felin. hic n. 15.

& 16. Nauarr. comm. 2. de Regul. n. 65. Sanchez lib. 6. moral. cap. 12. n. 2. & seqq. Quosdam eorum casuum retuli in Theol. moral. lib. 4. tr. 5. cap. 11. Alij verò sunt; Si agatur de valore professionis: aut de eiectione Religiosi, num ea iusta sit; Item si alimenta necessaria, aut expensæ à Monasterio denegentur; Si beneficium seculare, aut etiam regulare, quamuis manuale, & vt obedientiaris aliquis possideat, pro iure suo agere & se defendere potest, sicuti post Rot. Romanam docuit etiam Anton. in c. præced. n. 15. Potest autem in his casibus Religiosus seu per se, seu per procuratorem in iudicio stare, vt notat Abb. hic n. 1. arg. huius textus: Hodie tamen non conceditur Monialibus, vt extra claustrum se conferant, iuris sui prosequendi causa, sed procuratorem mittere debent, vt colligitur ex cap. vn. §. Porro, de statu Regul. in 6.

Porro, quòd regulariter Religiosus personam standi in iudicio non habeat, inde colligunt DD. Quia sui iuris non est; nec dominium honorū habet, ideòq; seruo, aut filiosam æquiparatur, qui in iudicio, absq; patris aut domini sui licentiâ, contendere non possunt, l. vix 53. ff. de iudicijs, l. seruus 6. C. eod. c. vt. de iudic. in 6. Quare aiunt Felin. hic n. 15. Nauarr. cit. comm. 2. n. 64. Sanchez cit. loco n. 9. Si Monachus aliū siue Religiosus vestibus, aliāue re spoliatus sit, non posse eum, absque Prælati licentiâ agere pro restitutione; sed Monasterio competere actionem. Quòd si iniuria illata sit Religioso, non competet ipsi actio: neque condonatio, seu remissio; sed vtrumque ad Prælatum pertinet, præterquam si Prælatum absens sit, & procuratorem nullum reliquerit, prout hæc generatim traduntur de eo, qui in alterius potestate constitutus est, in l. sed si vnus 17. §. Prætor ait, ff. de iniurijs & famos. libellis.

NOTANDVM II. Rescriptum ad lites, obreptitiè impetratum, quia v.g. in eo nulla mentio facta prioris rescripti, non est ipso iure irritum, sed ope exceptionis irritari potest. Ita sumitur ex cap. isto, ver. irritatum, & tradit Glossa in notandis, & ver. ir-

ritum, Anton. hic n. 4. Abb. n. 5. & n. 9. Vbi bene admonet, si agatur de publica vtilitate, vt in casu huius cap. quòd Iudex ex officio processum, etiam parte non opponente, irritare possit, priusquam sententia in rem iudicatam transierit: Idemque sentiendum est, si obreptio notoria sit, prout supra monui in c. super literis, 20. hoc tit.

NOTANDVM III. In rescriptis ordo verborum attendi debet; ita, vt quòd in rescripto, aut mandato prius præcipitur, ante alia expediendum sit. Ita sumitur ex hoc e. iun. Gl. ver. transponentes, vbi Ioan. Andr. circa eandem Gl. Ant. n. 5. inquit, quòd *ordinis peruersio, seu transpositio vitiat processum ipso iure.*

Addit Felin. hic n. 4. post Domin. in cap. fin. de off. deleg. in 6. quòd is dignior ceteri debet, qui prior nominatur: Vnde colligit Tamburin. tom. 1. de iure Prælator. disp. 25. q. 7. n. 2. quòd Prælati Ordinis Prædicatorum antecedunt Prælatos Ordinis Minorum: Et hi Prælatos Eremitarum S. Augustini; quos sequuntur PP. Carmelitæ; Quia iuxta hunc ordinem in iure nominantur, c. vn. §. sanè, de relig. domibus in 6.

NOTANDVM IV. ibi: *Persona idonea administrationem committerent*, quòd vacante ecclesia regulari, administrator à superiore, interim dum Sedes vacat, deputari debet. Ita sumi videtur ex textu, & notat Anton. hic n. 6. vbi ait, quòd *vacante Sede Superior agit pro bonis ecclesie subtrahitis.* Idemque docuit Ioann. Andr. in c. 2. n. 3. de testam. in 6. Felinus in e. his quæ n. 2. §. Quartò arguitur sic allegans & commendans dictum Archidiaconi super cit. cap. 20. quòd *Episcopus habet curam status Monasterij, vacante Sede, & ipse dat administrationem in temporalibus ac spiritualibus.* Quia omnia iura, inquit Felinus, quæ dicuntur *Capitula succedere vacante Sede, loquuntur de Capitulo ecclesie Cathedralis.*

Corollarium. Vacante Prælatura regulari, Episcopus Administratorem cum auctoritate deputare potest, etiam quoad disciplinam regularem, si Monasterium exemptum non sit. Quia liget Episcopus in istis nego.

negotijs se non imiscet, ordinariè loquendo; secùs tamen est, si Prælatus deficiat, aut negligens vel remissus sit, arg. c. irrefragabili 13. de off. ordinarij. & videri potest de hoc Franc. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. n. 15. & seqq.

Cæterùm si administrator nullus à Superiore deputetur, tum Prior aut Senior gubernationem exercebit; sed non propriè dictam iurisdictionem; præterquam si per legitimè præscriptam consuetudinem, quippe quæ iurisdictionem dare, sicuti & auferre potest, c. cum contingat, 13. de foro compet. aliud obtentum sit,

Veruntamen contra notandum istud sentit hic Abb. n. 3. & alij apud Felin. loco cit. quòd administratio bonorum Monasterij, vacante Prælatura, pertineat ad Conuentum, argum. Clem. 1. ver. Abbate autem, de statu Monachorum; Et ad textum huius cap. respondet Panormit. dissidium ac perturbationem ortam fuisse in Monasterio; & ideo administratorem constitui debuisse; quia in tali rerum statu Conuentus seu Capitulum non censetur idoneum administrationi gerendæ. Quà simili ratione legimus in c. vlt. de statu Monachor. Si Prælatus regularis ob bonorum dilapidationem, aliudue crimen, amotus fuerit, à Diocesano interim cõstituendum esse administratorem, donec alius Ecclesiæ Prælatus ordinetur. Quamobrem, cum hæc quæstio, cui Prælatura vacante, in ecclesijs regularibus administratio bonorum competat, non satis decisa sit, diocesani consuetudo sequenda erit.

6 NOTANDUM V. Forma mandati, seu factæ commissiõnis diligenter obseruari debet, l. diligenter 5. ff. mandati, alioquin processus irritus est, vt Gl. hic docet, ver. irritum, & alij communiter, P. Ludou. Mol. tr. 5. de iust. disp. 25. n. 2. Suar. de cens. disp. 3. sect. 12. in fine. Verùm in hac re distinguere oportet: Vel forma seu conditio, quæ Iudici delegato præscribitur, iure etiam communi requiritur, tunc nouam formam non inducit; sed solum commotionem seu instructionem Iudicis continet, secundum Gl. receptam in Clem. 1. ver. repererint, de offic. de-

legati, Gl. in Clem. 1. ver. inhiibentes, de iure patron. Innoc. in c. prudentiam n. 9. de off. deleg. Franc. Suarez lib. 5. de legibus cap. 3. n. 8. & seqq. Thom. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 3. n. 3. Quare dicunt DD. in c. significasti 4. cum Gl. ver. conditione, de elect. & super l. condiciones quæ extrinsecus, 98. ff. de condit. & demonstrat. & l. 3. ff. de legatis 1. vbi Bartolus; quòd *expressio conditionis, qua de iure inest, nihil operatur*: quia etsi non exprimeretur, tamen subintelligi deberet. Quamobrem si conditio seu forma secundum se non sit actui exercendo substantialis, adeoque omisio eius conditionis actum non efficiat irritum, etsi fortè illicitum & non congruè factum; tunc idem quoque erit, si in commissiõne aut mandato conditio talis expressa fuerit. Exempli causa; *Conferas beneficium Titio, si idoneus est*: Tametsi ponamus, minus idoneum esse, nec moribus, aut scientiã commendatum; dummodò non infamis aut omninò illiteratus, adeoque de iure inhabilis existat, valet collatio ipsi à Commissario facta, sicuti iure ordinario valeret, prout docui lib. 4. moral. Th. tr. 2. cap. 15. n. 1. Et affert hunc casum Innocent. in c. vlt. de præsumpt. in princ. Imola in c. penult. n. 2. de Constit. Sanch. in cit. loco, & lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 26. Aliud exemplum attuli in mor. Theol. lib. 1. tr. 5. p. 2. cap. 6. q. 2. dicto 4. vbi hanc ipsam doctrinam tradidi.

Vel forma siue conditio, aut procedendi modus iure communi non requiritur, sed à delegante de nouo præscribitur: tum censetur esse substantialis, vt nisi ea forma ferueretur, actus irritus sit. Exemplum habes hic: Quia forma procedendi, quam hic Pontifex præscripsit, ac principaliter mandauit, vt delegati ad Monasterium personaliter accederent, administratorem constituerent, cui subcontractorum restitutio fieret, non merè iuris communis fuit; sed ab homine, videl. Pontifice, specialiter inuenta & proposita. Dico, *non merè*; Negari enim non debet, cum & expressè in textu c. dicatur, etiam contra iuris ordinem processisse delegatos, dum posthabita cognitione de spolio, de iure e-

lectio-

lectionis cognoscere ceperunt, contra l. i. c. de appell. c. cum dilectus 6. de causa poss. & propriet. Ideoque ex hoc capite præcisè, processus eorum & sententia valuisse (licet per appellationem rescindi posset, ut constat ex cit. l. i.) si Pontifex nihil aliud, quam id, quod iure communi statutum, mandare intendisset. Et hæc videtur mens Anton. de Butrio, quam hic fusè examinat Abbas num. 12.

Aliud exemplum huius posterioris membri habes apud Innocent. & Imolam cit. locis; Si Papa mandet conferri alicui beneficium, si sit in iure Canonico, aut Theologia doctor, non valebit collatio, nisi conditio subsistat. Item, si mandet alicui, ut post solertem indagationsm suæ examèn super vitâ & doctrinâ Titij, si idoneum repererit, beneficium ei Apostolicâ auctoritate conferat: non valet collatio, nisi examen præmissum sit, ut benedocet Felin. in cit. c. ult. n. 33. de præsumpt. Sanchez duobus locis suprâ citatis, contra Gl. in cit. Clem. 1. ver. repererint, de off. deleg. Nam forma ea examinis præmittendi, spectato communi iure, non requiritur; sed sufficit, contra instituendum, aut providendum non adesse iudicia, quod minus idoneus siue indignus sit, iuxta cit. c. ult. in fine.

Addendum verò his est, eum tota potestas iudicis delegati pendeat ex voluntate delegantis, ideo ante omnia considerandum esse, volueritne ipse, ut propter formam rescripti non servatam processus irritus sit, necne. Quamobrem accidit interdum, ut tamen à committente forma modusve procedendi, qui communi iure præceptus non est, præscribatur, tamen ex materia subiecta, loquendi modo, alijs que circumstantijs, vel ex Curia consuetudine colligi possit, non fuisse mentem committentis aut mandantis formam substantialem; seu sine qua non statueret, sed solum mentionem, instructionemque circa negotij expeditionem facere. Ut si Ordinarius dispensans in denunciacionibus, sacerdoti alicui committat facultatem assistendi matrimonio; adiecto, ut prius præcipiat sponis sub excommunicatione,

ne ante denunciaciones factas matrimonium consumment; Sacerdos autem omisso præcepto isto, sponfos coniungat, valida erit desponsatio seu matrimonium, prout resoluit Sanchez cit. disp. 33. n. 2. & 6. Contrà verò fieri potest, ut tametsi forma siue conditio, quæ iure communi requiritur, mandato apposita sit, velit tamen mandans sine ea actum, seu processum non subsistere, ut si apertò id exprimat, *aliter non valeat & c.* Vel si ex materia, scribendi modo & c. idem colligi debeat: Ut in casu huius c. quando non absolutè iudicibus præceptum fuerat, ut prius de spoliacione, quam de iure electionis cognoscerent, sicuti de iure fieri oportet; sed procedendi forma specialius determinata erat, ut facilè appareret, Pontificem normam mandati substantialem ponere voluisse.

Inferuit huc, quod dicitur in suprâ cit. l. 5. ff. mandati, *Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt.* Et additur ratio: *quia qui excessit, aliud quid facere videtur.* Et optimè Couarr. in c. alma mater, de sent. excomm. in 6. p. 1. §. 9. n. 8. eumque secutus Sanchez cit. disp. 33. n. 4. ex hoc ipso c. colligunt: quando in mandato forma alio modo, aut in alium finem exprimitur, quam ius commune requirit, censeri formam substantialem: Item, *Ordo iuris in mandato iurisdictionis expressus ad instructionem causa, & ad iusticie ministerium formam non inducit; quam tamen constituit, si ab homine speciali quadam cautela ordo iuris modum procedendi concernens fuerit traditus.* Et hic est sensus huius c. ex mente Abb. hic n. 12. & ad stipulatur doctrina Bartoli l. diem proferre 32. §. 1. ff. de recept. arbitris.

CAPITVLVM XXIII.

Plerumque.

PARAPHRASIS.

Si alterum rescriptum super eadem causâ ad alios iudices impetretur, non factâ mentione prioris rescripti, per exceptionem

nem reiici potest; nisi is, qui prius rescriptum impetrauit, eo dolo aut negligentia per annum uti intermittat: tum enim secundum rescriptum praeualebit primo. Debet autem haec censi poena, cum alioqui usus rescriptorum perpetuus sit, l. falso. C. de diuersis rescriptis,

SUMMARIUM.

1. Rescriptum secundum valet, licet in eo de primo (quo uti noluit impetrans intra annum) non fiat mentio.
2. Malitijs hominum non est indulgendum.
3. Ut valeat rescriptum secundum ob taciturnitatem prioris obreptitium, requiruntur duo: lapsus anni, & impetrantis prioris dolus, vel negligentia, dum noluit eo intra annum uti.
4. Unde iustum impedimentum ostendere ad eundem pertinet, & consultum est, quamuis non necessarium, ut de eo protestationem faciat.

Non raro accidit, ut aliqui Papalibus literis impetratis, eas longo tempore non praesentarent: cum autem aduersarij ipsorum alias literas ad alios Iudices impetrassent, quarum auctoritate citari fuerunt, tum demum prioribus suis literis productis contra posteriores exceperunt, validas non esse, quod priorum nulla in eis mentio fieret. Cum itaque malitijs hominum indulgendum non sit, statuit hic Innocentius III. ut si quis literis a Papa impetratis, ex eo tempore, quo Iudicum delegatorum copiam habuit, intra annum ex malitia vel negligentia, uti intermiserit, auctoritate posteriorum literarum conueniri possit, tamen in eis de prioribus nulla mentio fiat.

NOTANDUM I. Quod malitijs hominum indulgendum non est, prout etiam habetur in c. significante 5. Qui matrim. accusare possunt, ex l. in fundo 39. ff. de rei vindicat. Crescit enim peccandi desiderium, si prosper successus appareat; deprimitur autem, si obstacula, & successus non operatus

sequantur. Quamobrem nulla maior censi debet hominis in terris infelicitas, quam si dum male agere pergit, felix esse videatur: Contra vero, nemo felicior eo, qui dum bene agit, affligitur, & imprudentibus infelix esse videtur.

NOTANDUM II. Si prior impetrans literas Papales ex malitia aut negligentia, intra annum, posteaquam Iudicis copiam habere potuit, ei non praesentauit, conueniri poterit per literas posteriores ab Aduersario in eadem causa ad alios iudices impetratas, tamen in eis nulla priorum mentio facta sit, l. falso. C. de diuersis rescriptis.

Corollarium. Exinde aperte colligitur, & notat hic Ant. n. 8. Imola n. 3. Abb. n. 3. quod rescriptum ad lites obreptitiae obtentum, (v.g. non facta mentione priorum literarum ad alios iudices impetratarum) non est ipso iure irritum, sed per aduersarij exceptionem elidi debet. Si enim ipso iure irritum esset, non posset propter non usum intra annum, accedente dolo aut negligentia aduersarij, valorem acquirere, ob iuris regul. i 8. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod ab initio de iure non subsistit.*

Et aduerti hic potest ex verbis c. prout 3 etiam admonet Abb. n. 1. & 7. duo requiri, ut posterius rescriptum, quod propter taciturnitatem prioris obreptitium fuerat, vires acquirat; Lapsus anni, quo prior impetrans rescripto suo usus non fuit; Et eiusdem dolus, vel negligentia. Porro tamen hic Gl. fin. recte doceat, ex solo lapsu anni, quo impetrans rescriptum suum praesentare intermisit, praesumptionem negligentiae aut malitiae aduersus ipsum oriri, ut proinde contrarium, seu iustum impedimentum ostendere ad ipsum pertineat, argum. c. vlt. de locato; Atque ob eam causam consultum fore, ut de hoc ipso impedimento protestationem interponat, argum. c. vlt. de appellat. Nihilominus tamen, etiam nulla protestatione praemissa, si impedimentum allegetur & probetur, ad iudicem pertinebit arbitrari, num excusatio iusta sit, an vero dolus aut negligentia interuenerit, prout Iac. Menochius docuit in arbitrar. Iudicum, qq. casu 204.

CAPL

CAPITVLVM XXIV.

Cùm contingat.

PARAPHRASIS.

Titius impetrauit literas contra Caium ad officialem cuiusdam ecclesie. Postea idem Caius alias literas super eadem causâ impetrat ad decanum alterius ecclesie. Officialis in eâ causâ procedens, & Caium excommunicans mandat Episcopo loci, vt eundem excommunicatum publicè denunciet. Sed mox à Decano aliud mandatum Episcopo superuenit, vt Caium ab excommunicatione absolutum promulget: vtri iudici delegato Ordinarius parere debet? Resp. Innocent. III. Vel Ordinarius, cùm is mandatum primum accipit, notum est, vel ignotum, inter iudices delegatos de iurisdictione controuersiam esse: si notum est, non debet exequi mandatum, donec inter iudices contentio dirimatur. c. pastoralis 14. hoc tit. Sin autem ignotum, prius mandatū exequi tenetur. Quod si postea à posterioribus iudicibus mandatum contrarium superueniat, tum iubeat sibi exhiberi literas delegationis, & si in ijs reperiat priores literas expressè reuocari, exequatur secundum mandatum; sin autem non reuocentur, nullatenus exequatur. Verùm si dubius existat de reuocatione, non debet exequi, donec controuersia de iurisdictione inter iudices sopita sit. Caueat tamen Ordinarius, ne declinandi mandati causâ dicat se dubitare de iurisdictione, vbi dubitandum non est; aut dicat se certum esse de valore vel reuocatione rescripti, vbi certus non est. Porro tamen Ordinarius in tali casu literas à iudicibus delegatis petere possit, vt videat, num eorum mandatum exequi debeat, necne; non tamen ipse de eorum iurisdictione aut iure partium iudicandi potestatem vllam habet.

SUMMARIVM.

1. Delegatus Papa mandare potest Ordinarius in negotio sue commissionis.

- Debet tamen sua delegationis exhibere literas, quæ fidem faciunt de potestate accepta.
2. Ordinarius controuersis inter delegatos iudices super iurisdictione illorum se non intromiscere debet.

NOTANDVM I. Delegatus Papæ Ordinarius locorum mandata dare potest in ijs, quæ ad expeditionem commissæ sibi causæ pertinent: Quia in ea vicem Papæ representat; ideòque maior est Ordinarius, c. sanè 11. de offic. delegati. Necesse tamen est, vt literas delegationis suæ exhibeat, quò fides illi de accepta potestate fieri possit, vti hic dicitur, & in c. cùm iniure; 1. de elect. & in l. 1. C. de mandatis Principum.

NOTANDVM II. Si controuersia inter iudices delegatos de iurisdictione oriatur, Ordinarius se immiscere non debet, partium diuersarum probationes aut exceptiones admittendo; ne iudicis officium sibi vsurpare censeatur. Sed eo solùm fine literas Apostolicas inspiciendas petere potest, vt cognoscat, num, & cui iudici obtemperare teneatur, si quæ vigore literarum, de quibus dubium ortum est, ipsi imperentur.

Porro admonet hic Ioann. Andreas n. 3. Casum huius c. frequenter etiam accidere circa rescripta gratiæ, v. g. conferendorum beneficiorum; vt executores diuersa & opposita mandent locorum Ordinariis: Tum verò ita ipsis agendum esse, sicuti in hoc c. de rescriptis iustitiæ declaratur.

CAPITVLVM XXV.

Olim.

PARAPHRASIS.

Pancratius clericus possidebat parochiam de Salice, quam Rudolphus de Clivo sibi per intermediam personam legitimè collatam esse contendebat. Causa delata fuit ad Innocent. III. qui eam tribus Abbatibus delegauit. Hi partes semel, iterum, ac tertio citantes, cùm Pancratius nec per se, nec per procuratorem accedere vellet, eum ob

P

con-

contumaciam excommunicarunt, & fructus parochiæ interim sequestrarunt. Sed Pancratius postea iudicibus obedientiam pollicitus à censura absolutionem impetrauit. At verò in literis absolutionis abrafo eo, quod positum erat de loco & die, in quo se sistere iudici debebat, ipse scripsit fructus sequestratos sibi restitui debere: quod facinus suum coram duobus Abbatibus (nam tertius delegatus de absentia se excusauerat) confessus fuit. Eapropter Innoc. Papa quibusdam aliis in mandatis dat, vt si ita est, Pancratio silentium in perpetuum imponant super petendâ parochiâ, eamque Rudolpho cum fructibus sequestratis assignent. Sed iudices hi dubitarunt, an clausula, *Si ita est*, ad id tantum, quod proximè antecesserat de rasura literarum, referri deberet, an verò ad omnia antecedentia. Resp. Innocent. ad omnia referendam esse, quia tamen sufficiat crimen falsi de Pancratio ostensum esse, vt perpetuum ipsi silentium super parochiâ petendâ imponatur, non tamen ea Rudolpho assignari potest, nisi de iure ipsi competente, seu de collatione legitimè facta ostensum fuerit.

SUMMARIUM.

1. *In causa beneficiaria ob contumaciam rei fructus beneficij sequestrari possunt.*
2. *In eadem causâ falsificans literas, & de hoc crimine falsi conuictus, iure suo excidit, & in pœnam falsi incidit.*
3. *Contendens beneficium ad se pertinere, debet necessario docere de iure & institutione sua. nec satis est probare aduersarium ius in eo nullum habere, aut ipsummet hoc confiteri.*
4. *Confessio extraiudicialis in criminibus non præiudicat.*

NOTANDVM I. In causa beneficiaria, si reus contumax sit, fructus beneficij sequestrari possunt: Nam actor, iure suo nondum ostenso, in possessionem mitti non debet, ob periculum, ne vitium intrusionis incurrat, iuxta c. vn. de eo qui mittitur in pos-

sefs. causa rei seruandæ, in 6. Et notauit Ioan. Andr. hîc n. 4. Abb. n. 5.

NOTANDVM II. Litigans Clericus de beneficio, si literas super ea lite falsasse conuictus fuerit, iure suo, si quod habeat, excidere debet, eique perpetuum silentium imponi. Ita sumitur ex textu. Ceterum si criminaliter agatur, clericus conuictus de crimine falsi, beneficiis in perpetuum priuadus siue depnendus, & in monasterium ad agendam penitentiam detrudendus dicitur in c. si Episcopus 7. d. 50. Quòd si literas Papales aliquis falsauerit, excommunicationem contrahit; Et, si clericus sit, degradari, atque Curia seculari tradi iubetur in c. ad falsarium 7. de crimine falsi, & c. nouimus 27. de verb. signif.

NOTANDVM III. Clausula, *si ita est*, iuxta negotij qualitatem, seu sicut materia subiecta postulat, vel refertur ad id tantum quod antecessit, vel ad omnia quæ antecesserunt, vt Ioan. Andr. hîc notat n. 16. Imola n. 16. Abb. n. 3. & colligitur ex textu, quando dicitur, Clausulam, *si ita est*, respectu silentij indicendi Pancratio, satis impleri, si vitium falsi, cuius proximè mentio facta, ostensum sit: At verò respectu parochiæ Rudolpho conferendæ, non impleri dictam clausulam, nisi omnia narrata ostensa fuerint, videl. non tantum commissa rasura à Pancratio, sed etiam collatio legitimè facta Rudolpho: Quia beneficium ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri, reg. 1. in 6. Videri hîc potest Felin. n. 10. post Ioan. And. in suprâ cit. c. vn. col. 1. Quòd non sufficit possessori beneficij, vt de aduersario ostèdat, ipsum ius nõ habere, aut ipsemet aduersarius hoc confiteatur; si possessor de suo iure seu institutione docere non possit. Eapropter, si vnus de beneficiis contententium clericorum, de iure suo probando sibi diffidat, impetrare in Curia interdum solet literas in forma, *Si neutri*, aut *Si nulli*. Qua de re videri potest Azor tom. 2. mor. inffit. lib. 6. c. 32. q. 5. §. Sunt etiam.

Circa textum **D**UBITATVR primò. Vel Iudices principaliter ob contumaciam rei citati, fructus parochiæ sequestrarunt, vel accesso-

cessorie propter excommunicationem eidem inlicitam: nam excommunicato fructus beneficii merito subtrahuntur, c. pastoralis 53. in fine, de appellat. Neutrum dici potest: Non 1. Quia, ut constat ex c. vlt. in fine, ut litem non contestata & c. Iudex ab initio duplicem penam contumaci infligere non debet, videl. excommunicationem, missionemque in bonorum possessionem; cuius veluti vicem hic tenet bonorum sequestratio Non 2. Quia deposita contumacia, & exhibita satisfactione congrua, ita ut absolutionem reus mereatur, fructus ei restitui debent, cit. c. vlt. §. in aliis. Resp. Ioan. Andr. hic, Imola n. 17. Abb. n. 5. Ostendi hoc argumento, Iudices non recte processisse: Sed non ideo Paneratus literas radere & falsare debebat: appellare autem poterat, seu querelam ad Papam deferre.

DUBITATUR secundò: Cum Paneratus falsi crimen coram Iudicibus confessus fuerit, cur Papa nihilominus aliis Iudicibus mandet, ut super ea recognoscant, & si ita esse intellexerint, homini silentium imponant. Varia respondent Interpretes hic: Id magis placet, quòd confessio Panerati non fuerit iudicialis; cum enim tres delegati fuerant, vno eorum absente, reliqui duo cognoscere non poterant, c. causam 16. & c. penult. de offic. delegati. Quòd autem confessio extraiudicialis in criminibus non præiudicat, legi potest apud Felin. hic n. 2.

CAPITVLVM XXVI.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Abbas Monasterij S. Stephani à Papa Visitator constitutus fuit ciuitatis ac diocesis Bononiensis; in in visitatione Bartholomæum & Antonium Presbyteros propter gratia & manifesta delicta à beneficiis amouit & excommunicauit. Illi autem à Sede Apostolica, quasi spoliati fuissent, literas impetrarunt de restitutione ipsis facienda, non insertà causà amotionis, nec

facta mentione excommunicationis suæ. Quare Innocent. III. scribit Episcopo Imoleni, si ita se rem habere cognouerit, ut literas subreptitias esse, & viribus careere decernat.

SUMMARIUM.

1. Visitator constitutus cum potestate iudicandi, corrigendi; potest pro gravitate criminum Clericos beneficiarios beneficiis priuare & deponere.
2. Contra iudicem iniuste spoliantem non potest impetrari restitutio in forma communi.
3. Nisi extraiudicialiter spoliasset, aut notorie etiam in iudicio iniuste.
4. Rescriptum iustitia præter alias causas obreptitium sit per taciturnitatem veri, si impetrans mentionem non facit excommunicationis; vel si à iudice possessione sua priuatus causam suam priuationis non exprimit.

NOTANDVM I. Visitator constitutus à Papa (vel etiam Episcopo, sicuti Abb. hic docet n. 5.) cum potestate iudicandi, corrigendi, potest etiam clericos seu beneficiarios beneficiis priuare, ac deponere, si talem penam commissâ crimina mereantur. Dixi autem, si constitutus sit cum potestate iudicandi, &c. Secus enim sentiendum de visitatoribus, de quibus mentio est in c. penult. & vlt. de statu Monachorum: Ii enim constituti fuerunt ad ordinandum & reformandum Religiosos, non ad iudicandum & puniendum, prout ibi legi potest, & annotauit Anton. hic n. 8. Imola n. 6. Abb. cit. n. 5. Etenim visitatores illi deputati fuerunt à Capitulo generali Religiosorum, quod cum potestatem non habuerit priuandi Prælatos, multò minùs talem potestatem dare poterat; sed Superiori vid. Papæ, aut Episcopo denunciare debebat. Dixi de hac re in censura Astrinextincti p. 2. cens. 42. 43.

NOTANDVM II. Contra iudicem iniuste priuantem siue spoliantem, non potest impetrari restitutio in forma communi, sicuti si priuatus spoliasset. Ita sumitur ex hoc c.

& tradit Gl. recepta in c. 3. in fine causa 7. q. 1. & latè hic explicat Felin. n. r. Auffrerius in Capell. Tholof. q. 491. Sensus traditæ doctrinæ est, quod qui à Iudice se spoliatus, seu possessione priuatum ostendit, non illicò seu ante omnia restituitur, sicuti si ab alio spoliatus esset: sed prius cognoscendum de causa priuationis, seu ablata possessionis: Neque enim vis, seu violentia censetur, quam magistratus rectè, ac licitè intulit. l. 3. ff. Quod metus causa. Semper autè in dubio pro magistratu, seu iudice præsumptio est, quod rectè processerit, donec contrarium ostendatur, arg. c. quid culpatur 4. causa 23. q. 1. & tradit Gl. cit.

3 Limitari debet doctrina: Si Iudex extrajudicialiter aliquem possessione priuet, aut non seruato iuris ordine, v. g. possessorem, cuius colorata possessio est, non citando, aut defensiones eius audiendo, & quotiescunque notorium est, Iudicem iniuste possessorem deiecit: in his casibus Iudex censeri debet vt priuatus: & ideo ab eo spoliatus incontinenti restitui debet, sicuti docet Abb. in c. conquerente, de ressit. spoliatorum, latè Felin. hic cit. n. 1. Capella, & ibi Auffrerius in cit. q. 491.

4 NOTANDUM III. Præter alias, dicitur causæ sunt, ob quas rescriptum iustitiæ obreptitium fit per taciturnitatem veri: Prima, si impetrans mentionem non fecerit excommunicationis, quæ affectus est: Nam rescriptum Papæ ab excommunicato impetratum ipso iure irritum est, adeòque adest inhabilitas ex parte impetrantis, aut recipientis rescriptum, c. 1. hoc tit. in 6. Altera, si quis tanquam à Iudice priuatus, seu possessione sua amotus, causam amotionis non exprimat. Ita sumitur ex textu huius c. & fuse declarat Glossa hic ver. excommunicationis, & seq. Gl. ver. viribus carere.

CAPITVLVM XXVII.

Postulasti.

PARAPHRASIS.

Episcopus Veratimensis quæsiuit ex Innoc. III. Si à Sede Apostolica literas iuxta for-

mam cap. cum secundum Apostolum, acciperet: quibus iuberetur beneficium alicui prouideri, qui ex Vicariæ perpetuæ prouentibus, & proprio patrimonio commodè sustentari potest: an tales literas exequi deberet. Resp. Innocent. subreptitiis censendas esse, quippe impetratas tacita veritate, quam si Papa cognouisset, probabiliter non ita scripsisset. nam huiusmodi literæ à Sede Apostolica emanant pro clericis pauperibus, nullumque beneficium habentibus: qui autem Vicariam perpetuam obtinet, ecclesiastico beneficio non caret. Accedit, quod neque literas gratiosas dare solet Papa, vt beneficium conferatur alicui, qui antea aliquid habet, nisi de eo mentionem faciat.

SUMMARIVM.

1. *Literæ beneficiales alia sunt Iustitiæ, alia Gratiæ.*
2. *Rescriptum iustitiæ obreptitium est, si impetrans mentionem in eo non facit patrimoni, ad quod ordinatus est, vel beneficij, quod obtinet.*
3. *Causa impulsua cessatio non vitiat rescriptum.*
4. *Intrusio idem beneficium, in quod se intrusit, impetrante, tacitè à intrusione, rescriptum est obreptitium.*
5. *Assensus beneficium per laicam potestatem, incapax sit eiusdem canonice assequendi.*
6. *Si intrusus in vno beneficio, quod illicitè, non autem de manu laici acceptum possidet, aliud beneficium impetret, tacitè à intrusione, solaque possessione beneficij expressa, valida videtur esse impetratio.*
7. *Abque titulo beneficij clericus in sacris ordinari non debet, nisi ex patrimonio, vel aliunde commodam, & prouisione sui status honestam habeat sustentationem.*

PRO intellectu huius c. sciendum est, literas beneficiales, id est, quibus à Papa beneficium alicui prouideri, aut conferri mandatur,

atur, alias esse iustitiæ, & alias gratiæ. Literæ *iusiuræ* (aliàs *pauperum* appellantur, item in *forma communi*,) quæ iuxta formam c. cum secundum 16. de præb. scribuntur pro clericis pauperibus, siue ijs, qui ab Episcopo sine beneficio aut patrimonio sufficiente, contra canones ordinati sunt. Quamobrem Pontifex pro his clericis, exigente iustitiâ scribere solet, vt ipsis prouisio, seu beneficij collatio fiat. Literæ autem *gratiæ*, seu *gratiôsè* appellantur, quæ pro alijs, non pauperibus seu indigentibus clericis, è Curia Romana emanant. Ita Ioan. Andr. & Abb. & alij hîc, Rebuffus in praxi benefic. de differentijs inter rescripta gratiæ & iustitiæ, n. 31. & videri potest c. si pauper 31. de præbend. in 6.

2 NOTANDUM È Rescriptum iustitiæ, seu in forma communi clericorum pauperum obreptitium est, si in eo mentio non fiat patrimonij, ad quod impetrans ordinatus est; vel ecclesiastici beneficij, quod obtinet: Quare Episcopus, aliâ siue cui prouisio mandatur, exequi non tenetur. Hoc est præceptum intentum huius c.

Aduertendum hoc loco, quod hîc Felinus tradit n. 5. In impetratione rescripti gratiæ faciendam non esse mentionem prius obtentæ pensionis clericalis, aut præstimonij, si beneficia non sint, sed tantum loco stipendij, prout etiam ex communi docet Capella Tholos. q. 473. At verò in rescripto iustitiæ, siue secundum formam pauperum, mentionem eorum fieri oportere: Alioquin obreptitium erit; saltem, vt per exceptionem peremptoriam infringi possit, si contra ordinatorem impetratum fuerit; quantumquidem per eiusmodi prouentus causa paupertatis tollitur. Imò ipso iure irritæ erunt tales literæ, si non contra ordinatorem tanquam contentiosæ dirigantur; sed simpliciter mandetur alicui, vt clerico, tantquam pauperi, prouideat: Tum enim quasi gratiôsè iudicari debent; quibus id proprium est, vt ipso iure propter obreptionem irritæ censi debeant, prout supra aliquoties dictum, & sumitur ex l. 1. ff. de natalibus rescriptis. Videri etiam potest Ioann. Andr. hîc

& Abbas nunt. 7. Imola nunt. 7.

Ex hoc porro c. verbis ijs, *Et habente beneficij sufficientis subsidium*, non pauci Doctores, Imola hîc n. 4. Felin. n. 1. Abb. n. 1. Rodriq. tom. 2. regul. qq. q. 59. a. 5. Azor tom. 2. mor. Instit. lib. 6. cap. 3. q. 20. §. Alij verò, & alij apud Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 10. regulam tradunt, rescripta, saltem beneficialia, per taciturnitatem veri ad rem per se & intrinsecè pertinentis, obreptitia fieri, si id tacitum fuerit, quod si cognouisset Princeps, difficiliùs rem petitam concessisset: siue, vt alijs verbis dicam, non tantum si taciturnitas veri sit causa finalis concessionis, quia eâ remotâ, adeoque habitâ cognitione veritatis, Princeps non concessisset; sed etiam, si sit causa duntaxat impulsua, quia si rem tacitam sciuisset Princeps, concessisset quidem, sed difficiliùs, vitari rescriptum. At præstat, vt adhareamus doctrinæ, quam tradidi supra in c. super literis 20. hoc tit. & in Theol. mor. lib. 1. tr. 4. cap. 22. n. 19. Rescriptum obreptitium non esse, si Princeps rem petitam, cognitâ veritate, eodem modo ac formâ concessisset, licet difficiliùs; dummodò neque ius, nec Curia stylus veri expressionem requirat, prout videre licet apud Sanchez cit. disp. 21. concl. 1. & seqq.

Neque obstant verba huius c. finalia: Sensus enim eorum est, quod Pontifex non solet scribere pro habente sufficiens beneficium, vt ei alterum conferatur, nisi de priorum mentionem faciat. Fuit itaque taciturnitas vicariæ perpetuæ causa finalis concessionis; seu qua sublata, id est, si sciuisset Papa veritatem, nullatenus ita scripisset. Præterquam quod & stylus Curia huiusmodi expressionem postulet, prout etiam colligitur ex c. cum adeo 17. hoc titulo c. si motu 23. eod. in 6.

Ex his, & quæ dicta sunt in cit. c. super literis, resoluitur QVÆSTIO, quam hîc tractat Felin. in fine c. Vtrum rescriptum gratiæ beneficialis datum pro Titio, qui se antea in beneficium intruserat, administrationem & fructus eius non canonicè adepti capiendos, subreptitium & irritum censi debeat? Resp.

P 3

ex

ex doctrina Card. Zabarellæ, & Petr. de Ancharano apud Felin. citato loco, Auffrerij in quæst. 484. Capell. Tholof. & Dico I. Si quis idem beneficium, in quod se intrusit, tacita intrusione, impetrauit, obreptitium est rescriptum, secundum omnes. Quia intrusio est canonicum impedimentum, inhabilitans personam ad assequendum beneficium: Collatio autem irrita est, si fiat ei qui ipso iure inhabilis existit. Dixi de hac re in Th. moral. lib. 4. tract. 2. cap. 15. n. 3.

5 Dico II. Si quis per laicam potestatem ecclesiasticum beneficium assecutus sit, itidem incapax fit eiusdem canonicè assequendi, argum. c. quisquis 43. de elect. & docet ex communi Syl. ver. beneficium 3. num. 1. Consequenter, nisi in rescripto, seu concessione beneficii exprimaturs inhabilitas ista, adeoque tollatur, irrita erit impetratio. Ex quibus etiam apparet, quod in his duobus casibus Papa saltem non tali modo ac forma scripsisset, si intrusionis vitium sciuisset.

6 Dico III. Si intrusus in vno beneficio, quod illicitè, non autem de manu laici acceptum possidet, aliud beneficium impetret, non factà mentione intrusionis, sed tantum quod beneficium possideat, videtur esse valida impetratio, prout præter Zaburr. & Anchar. etiam Felin. concludit hic in fine; Quia licet expressio intrusionis retraheret Papam à concessione alterius beneficii, tamen expressio intrinsecè non pertinet ad rescriptum; cum per id dicta intrusio purgari non debeat, (ait Felin.) prout accidit in duobus prioribus casibus. Et his consentiunt ea quæ supra dixi in cit. c. super literis, quod taciturnitas veri non vitiet gratiæ rescriptum, si rei impetratæ intrinseca non sit, tamen cognita eâ veritate, Princeps gratiam non concessisset.

7 NOTANDVM II. circa ver. *commodè* & ver. *competenter*, quod clericus in sacris absque titulo beneficii ordinari non debet, nisi ex patrimonio, vel aliunde commodam, & considerato statu honestam habeat sustentationem. Bene enim annotauit Gl. in c. vn. §. Sanè, ver. absq. penuria, de statu Regul. in 6. Abb. hic not. 2. & in c. 1. n. 4. de Institut.

Felin. hic n. 3. quod alia sit sustentatio necessaria, quæ mendicitatem excludit; alia autem sustentatio congrua, secundum qualitatem status & personæ: Et inferuire id potest pro intellectu rescriptorum, in quibus conditio apposita est, *Si persona verè pauper est*. Nam in materia largæ interpretationis, seu gratiæ Principis, verificabitur, si persona congruam, siue decentem sustentationem non habeat, considerato statu suo, liberis & familia, quam alere cogitur, &c.

CAPITVLVM XXVIII.

Nonnulli.

PARAPHRASIS.

Quidam literas à Sede Apostolica impetrant ad iudices valde remotos; quamobrem reus ne laboribus aut sumptibus premeretur; vel cedere, vel vexationem redimere cogebatur. Ideo in Concilio Lateran. sub Innoc. III. decretum est, ne quis ultra duas dietas, id est, iter duorum dierum extra diocesan suam per literas Apostolicas trahi possit: exceptis duobus casibus: Primus, si vtraque pars consentiat. Secundus, si in literis Apostolicis constitutioni illi expressè derogetur. Vide quæ dicam in c. Statutum 1. hoc tit. in 6.

SUMMARIVM.

1. *Reus ad iudicium è loco remoto cum magnis sumptibus & laboribus citandus non est: nisi necessitas, aut causa grauitas postulet.*
2. *Vi huius constitutionis non potuit quis ad iudicium citari ultra duas dietas extra suam diocesan, nisi de consensu partis, vel cum expressa mentione in rescripto & derogatione constitutionis.*
3. *Novo iure sufficit & requiritur una dieta cum consensu expresso vtriusque partis, qua debet numerari à finibus diocesis.*

4. Fa.

4. *Facta mentione diete, nisi exprimat in specie legalis vulgaris intelligenda est.*
 5. *Obreptitium est rescriptum iustitiae emanans contra hanc Conciliarum constitutionem sine clausula eius derogatoria, si postea reus ultra duas dietas, & spectato hodierno iure ultra unam ad iudicium trahatur.*

1 **NOTANDVM I.** Non est æquum, vt reus ad iudicium è loco remoto cum magnis sumptibus, & laboribus citetur; nisi necessitas aut causæ grauitas postulet. Quamobrem dicunt Legistæ, nominatim Bartolus in l. cum post. 26. C. de appell. Canonistæ hîc, nominatim Ancharan. & Felin. in princ. Si negotium modicum sit, & distantia longa, quòd iudex causam in patriam litigantium ablegare cogatur, argum. cit. l. cum post. Et Bartolus in l. mediterraneæ 8. C. de annoniis lib. 10. generalem regulam tradit; *Non esse faciendum id, in quo plus expenditur, quam commodi percipitur.* Exempla sunt: Debitor non tenetur reddere debitum, si plus in eo transmittendo expendere cogatur, quàm illud valeat, de quo dixi lib. 3. moral. Theol. tr. 2. de iustit. cap. 12. n. 1. Tutori non exigenti, quæ pupillo debita sunt, negligentiae non imputatur, si in ijs exigendis plus expèdere necesse sit, quàm valeant. Iudex non debet testes citare ad locum iudicij, si adeò distent, vt plus expendendum esset in ijs accersendis, quàm sit valor rei, qua de contenditur: quare hoc in casu examen testium alteri delegari debet. Denique si in adeundo Superiorem plus aliquis expensurus, quàm ratio & qualitas negotij suadeat, tum censerî quis debet ad Superiorem non habere recursum.

2 **NOTANDVM II.** Spectatâ hac constitutione, quæ facta in Concilio generali sub Innocent. III. non potuit aliquis per literas Papales ad iudicium citari ultra duas dietas, numerandas à fine diœcesis suæ; præterquam si partes consentiant; vel in rescripto expressâ fiat mentio & derogatio huius Conciliaris constitutionis. Hæc verò postea mutata sunt per cap. statutum 11. hoc

tit. in 6. & quidem in duobus, prout annotauit Lud. Molina tr. 5. de iust. disp. 25. n. 7. I. est, quòd non sufficiat quicumque consensus, etiã tacitus & præsumptus, sed requiratur expressus vtriusque partis. II. est, quòd duæ dietæ, nouo eo iure ad vnâ restrictæ sunt. Debet autem numeratio diætæ fieri à finibus diœcesis; cùm enim, ordinariè loquendo, grauari non censeatur pars litigans, si intra diœcesin litigare debeat, argum. c. si episcopus 7. de offic. Ordin. in 6. ideo grauamen à fine diœcesis æstimatur, vt hîc Abb. annotauit. not. 2.

QVÆSTIO prima. Quæ dicta sunt de duabus, seu vna dieta, siue diei itinere, intelligine debeant, de legali, quæ continet xx. milliaria italica, id est, 20. millia passuum, passus autem quinque pedes habet, l. 3. iun. Gl. ff. de verb. signif. An verò de vulgari, seu secundum loci cuiusque consuetudinem & comunem? Quam posteriorem quæst. partem præfert Gl. hîc fermè comuniter recepta, ultra duas dietas, Ant. hîc n. 20. Abb. n. 5. Mol. tr. 5. de iustit. disp. 25. n. 7. per argumentum à speciali in c. præsentî 34. §. loca. de præb. in 6. Quare Menochius de arbitrarijs qq. casu 106. Angelus in summa, ver. dies n. 2. existimant, si de dietis sermo sit, neque exprimat, vt legales seu per legem definitæ intelligantur, iudicis arbitrio frequenter relinquendum esse, consideratis circumstantijs diei, itineris, ac personarum, quantum viæ spatium nomine diætæ comprehendatur. Et inferuire id poterit ad intelligenda priuilegia v. g. Regularium, in quibus de duabus dietis, aut vna dieta mentio fit, vt attendatur num in specie exprimat dieta *legalis*; an non exprimat, tum enim de vulgari accipi debet.

QVÆSTIO secunda. Si in hoc c. clausula derogatoria rescriptorum contra hanc Concilij generalis constitutionem emanantium, posita non fuisset, an si postea reus, nullâ factâ mentione huius constitutionis, ultra duas dietas, & spectato hodierno iure, ultra dietam in iudicium traheretur, num obreptitium censerî debeat rescriptum? Dico, si clausula posita non fuisset. Certum enim

enim est, si ea posita sit in quacunque lege canonica aut civili, non valere rescriptum contrarium, aut derogatorium, nisi de ea lege mentio fiat, aut specificè, aut saltem per verba æquipollentia, non obstante constitutione de duabus diebus, uti videre hic licet apud Felin. n. 2. & seqq. Qui addit ex communi doctrina n. 5. ampl. 6. id locum etiam habere successoribus legislatoris: Cùm enim successor legum anteriorum custos esse debeat, ac defensor, non præsumitur ab earum, quarum & notitiam habere censetur, recedere velle, nisi sufficienter declaret.

Nunc respondeo ad quæst. affirmatiuè cum Abb. hic n. 10. Baldo super l. ult. n. 5. C. Si contra ius & c. & alijs. Ratio est: Quia rescripta iustitiæ, cum sint præiudicialia parti aduersariæ, procedere debent secundum iura, & ita ut aduersarius non nimis grauetur. Sed alia ratio est de rescriptis gratiæ, videl. priuilegijs, ac dispensationibus: in ijs enim non est opus mentionem facere legis, cui derogant, uti docet Ioan. Andr. in c. vn. prope finem, de excess. Prælator. & docui supra hoc tit. c. 1. not. 3. disto 3. Sed bene excipit Bartol. in cit. l. ult. n. 4. Abb. hic cit. n. 10. Nisi priuilegium contra ius sit non parum præiudiciale, siue derogans iuri alteri acquisito: Cùm Princeps non soleat, neque rationabiliter possit gratiam vni facere cum alterius detrimento, nisi grauis causa exigat.

Accedit verò, quòd canon huius c. sit Concilij generalis; adeoque habere censetur tacitam clausulam derogatoriam subsequen-
tium dispositionum contrariarum, nisi in ijs mentio fiat constitutionis Conciliaris, prout videre est apud Felin. hic n. 3. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 26. n. 7. & docui supra in c. 1. de constit. in 6.

Est tamen magnum discrimen inter constitutionem, in qua clausula derogatoria subsequentium dispositionum expressè requiritur, ut hic, & constitutionem, in qua tacitè siue præsumptè talis clausula inesse censetur. Primò, Si ex constitutione seu generalis Concilij, seu alia quacunq, expressè dicitur, eam reuocetam non censeri, nisi specifica e-

ius mentio fiat, tum non tollitur per clausulam generalem, non obstante quacunque, sicuti bene hic Abb. docuit cit. n. 10. Quia Princeps, notitiam anterioris legis habens, si eam tollere vellet, specificam derogationem adijceret, prout lex requirit, iuxta c. 1. de constit. in 6. At verò si lex Conciliaris talem clausulam nõ habet, sufficienter tollitur per clausulam eam generatim derogatoriam cuiuscunque antecedentis legis.

Secundò: Ad derogandum legi Conciliaris, in qua clausula derogatoria subsequen-
tium dispositionum aut concessionum tacitè continetur, sufficit, quòd appareat, aut coniectura capi possit de certa scientia, ac voluntate Principis, prout hic tradit Abb. n. 8. & docui in cit. c. de constit. in 6. Et ad hoc defendendum, seu rescriptum à subreptione liberandũ multum momenti habet, si talis sit Curia consuetudo, ut frequenter rescripta dentur contra Concilij alicuius canonem, quippe quo Papa ligari omninò non potuit. Exempli causa, Concil. Tridentinum voluit, sess. 24. c. 5. de reform. matrim. ut in secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam: Quo tamen non obstante, Pontifex interdum cum quibusdam inferioris conditionis personis dispensat ex causa urgente, quamuis non publica; etiam non additã clausulã derogatoriã Conciliaris constitutionis. Sin autem lex anterior expressè postulet, ut in derogatione mentio eius fieri debeat; tum non valebit contraria dispositio, tamen si adiecta sit clausula motus proprii, aut ex certa scientia, uti hic idem Abb. docet n. 9. argum. l. si quis in principio 22. ff. de legat. 3. vbi idem dicitur de testamentis. Ratio traditæ doctrinae est, quia cum hæc res tota pendeat ex voluntate Principis, quippe qui absolutè loquendo alligatus non est legibus positivis, quò minus ijs derogare possit; in priore illo casu facilis coniectura capi potest, quòd per speciale rescriptum gratiæ, seu dispensationem aliquam ei derogare velit; etiam si id signatè non exprimat; dummodò rescriptum seu priuilegium non sit notabi-

hiter

liter præiudiciale. At verò in posteriore causa non ita præsumptio fieri potest: Cùm enim lex anterior, quæ specialem & expressam mentionem requirit, formam det subsequentibus rescriptis aut dispensationibus, ideo Princeps, dummodò, vt pono, lex illa in vigore & obseruatione sit, nunquam videtur ei derogare velle, nisi exprimat, Tametsi verba ista, *ex certa scientia*, aut *proprio motu* adiecta sint: quia vt bene Abb. hic cit. n. 9. Felin. n. 11. Suarez lib. 8. de legibus cap. 12. n. 11. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 52. clausula ea obreptionem tollere possit, non tamen suppleere voluntatem concedentis, aut gratiam vltra eius intentionem extendere. Eademq; de causa, cùm Princeps particularia, quæ facti sunt, ignorare censeatur, c. 1. de confit. in 6. ideo fit, vt propter defectum scientiæ, & consequenter voluntatis, verosimiliter præsumptum, clausula *motus proprii* neque personæ inhabilitatem, cuius in rescripto nullapenitus mentio fit; neque ius alteri quæsitum; neque particulare statutum loci tollat, sicuti docent DD. apud Sanchez cit. disp. 21. n. 49. & dicendum de hoc in c. si motu 23. de præb. in 6.

§. Sunt & alij.

PARAPHRASIS.

Aliqui illicitum quæstum exercentes, vt lites sopitas excitare, aut nouas suscitare possent, fingebant causas, super quibus à Sede Apostolica literas impetrarunt, absque mandato Domini, siue eius cuius causa agebatur: quas deinde literas vel reo ad redimendam vexationem suam, vel auctori ad lites suæ prosecutionem venderunt. Quare decretum est in eodem Concilio generali, vt si quis de cætero sine speciali mandato Domini seu agētis principalis literas à Sede Apostolica impetrare præsumpserit, eæ irritæ sint, & impetrans vt falsarius puniatur, præterquam si persona valde coniuncta fuerit, quæ etiam absque mandato ad agendum in iudicio admittitur.

SUMMARIUM.

1. Rescripta ad lites sunt strictè interpretandi.
2. Nec si sint Papales, valent, si pro alio sine speciali eius mandato impetrata sint; & impetrans, tanquam falsarius, puniendus est.
3. Et huiusmodi litera ipso iure nulla sunt.
4. Neq; eas postea Dominus aut Princeps ratificare potest.
5. Beneficia omnia siue gratia, adeoq; etiam dispensationes pro altera persona capaci, absque vilo eius mandato, impetrari possunt à Pontifice.
6. Ius tamen in re non acquiritur ei, cui gratia est data, donec ipsemet vel alius eius nomine ex speciali mandato acceptauerit, vel sine hoc acceptationem factam ab alio eius nomine postea ratam habeat.

Coniunctus pro coniuncto absque mandato ad agendum admittitur, dummodo caueat, eum ratum habiturum, quæ acta fuerint.

NOTANDVM I. Rescripta ad lites restringenda potius sunt, quàm extendenda: siue, vt alij dicere solent, rescripta ad lites strictæ interpretationis esse debent. Ratio est, quia præbent causam litigandi, & cedere possunt in alterius præiudicium; ideoque odiosa censentur, secundùm Abb. hic not. 1. & 2. in fine. Idemque dicendum de priuilegiis, quatenus ea cedere possunt in alterius præiudicium, l. 2. §. Si quis Principe, ff. Ne quis in loco publico &c. Item de rescriptis ad ecclesiastica beneficia c. quamuis 4. de præb. in 6. Idque propter ambitionem, & auaritiam, quæ clericis valde noxia est, auertendam.

NOTANDVM II. Non valent literæ Papales ad lites, quæ pro alio sine speciali eius mandato impetratæ sunt: Et impetrans, tanquam falsarius, puniri debet. Id tamen intelligi debet, non quòd verè crimen falsi commiserit: cùm literæ falsatæ non sint; sed perinde ac falsarius puniendus; tametsi mitius, & secundùm Iudicis arbitrium, teste Abb. hic n. 7.

Q

QV

- 3 **QVÆSTIO** prima. Num literæ in casu huius c. ipso iure nullæ sint? Gl. ver. sine speciali mandato, & Abb. hîc n. 6. negant; ideoque putant, si reus nihil excipiat, validas esse. Sed contrarium rectè docent Anton. n. 18. Imola n. 4. Nam inhabilitas personæ facit, ut actus penitus nullus sit, cum actus non subsistat sine potentia siue agendi, siue recipiendi. At verò persona impetrans, nisi speciale mandatum habeat, inhabilis reddita est ad impetrandum rescriptum ad lites. Quæ doctrina sumitur ex l. licet 56. ff. de iudic. & l. licet 23. C. de Procurator.
- 4 **QVÆSTIO** secunda. Num Dominus seu Principalis ita impetratas literas postea ratificare possit? Videtur esse affirmandum, ex cit. l. 56. ff. de iudiciis, & c. 2. de pactis, reg. 10. in 6. ex quibus iuribus habetur, quod quæ nomine meo gesta sunt, postea rata habere possum. & quod huiusmodi ratihabitio per fictionem retrahitur, & mandato æquiparatur. Quamobrem Gl. communiter recepta in c. ex parte, de rescr. 33. ver. Procurator, & Abb. ibid. n. 8. aiunt, quod gesta per falsum procuratorè in iudicio postea ratificari possint, l. 3. §. falsus, ff. rem ratam haberi. Contrarium tamen omnes docent, post Gl. hîc cit. ver. sine speciali mandato, & aliam Gl. in cit. reg. 10. ver. ratihabitionem, prope finem. Rationem dat Gl. hîc, quam secutus est Zasius in l. si quis iniquum §. Si procurator, ff. Quod quisque iuris; esse hunc casum specialem, siue exceptum ab ea regula; Idque propter odium litium. Sed melior ratio est, quam Abb. hîc dat n. 5. & pulchrè tradit Bartol. in cit. l. 56. ff. de iudiciis; Regulam illam, quod ratihabitio retrahitur &c. Et quod ratum habere possum, quæ nomine meo gesta sunt; Intelligi debere, si alius defectus non fuerit, quam consensus, isque postea suppleri possit, quippe in partis fauorem requisitus, ut accidere solet in pactis & contractibus, cit. c. 2. de pactis; Et in litis contestatione, cit. l. licet: Non item, si defectus, ex ratione boni publici per legem introductus, suppleri non possit: Veluti si is, qui tuo nomine, absque mandato, in iudicio contendit, seruus fuerit, aut pupillus; non poterunt acta per ratifica-

tionem confirmari, secundum Gl. receptam in cit. l. licet, ver. cum esset. Deinde, si iudex alienus, seu iurisdictione carens, causam cognouerit, ac deciderit, non potest iudex proprius, seu ad quem causæ cognitio de iure pertinet, postea ratificare; tametsi ab initio mandare seu delegare potuisset, sicuti rectè docent ex communi, locis citatis, Bartol. & Abb. cum Gl. in ead. l. licet, ver. deducta, argum. l. 2. C. de iure fisci lib. 10. Idque propter iurisdictionis publicæ defectum, quæ cum iudicio intrinseca & substantialis sit, ideo defectus iste per hominem, seu iudicem suppleri postea non potest, sed locum habet reg. iuris 30. ff. *Quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis conualescere.* Eodem verò modo se res habet in casu huius c. quando, ut dixi, persona ob minuendas lites, & vitanda publica incommoda, incapax reddita est ad impetrandum rescriptum, sine mandato speciali.

Porro, quod ad praxin attinet, Gregor. Tholos. super hoc c. ver. exigi, testatur, in Curia Rom. vix aliquem huius can. vsum esse. Siquidem, ut Abb. hîc ostendit n. 3. Procurator generalis, absque speciali mandato, rescriptum ad lites impetrare potest nomine proprio; eodem modo ac iure, quo etiam ad agendum in iudicio admittendus est, absque speciali mandato, exceptis ijs causis, quæ speciale mandatum requirunt, c. qui generaliter 5. de procurator. in 6. Nauarrus quoque in consil. 4. n. 7. de rescriptis ait, *In Rom. Curia parum curari de exceptione defectus mandati ad impetranda rescripta, etiam ad lites, de quo in §. sunt & alij.*

QVÆSTIO tertia; Num aliquis, similiter absque mandato speciali, vel etiam generali, pro altero impetrare possit à Papa ecclesiasticum beneficium, dispensationem, aliamue gratiam, seu priuilegium. Abbas Parnorm. in c. innotuit, n. 10. de elect. inquit, ad petendam dispensationem in alterius gratiam, requiri speciale mandatum. Sed contrarium est dicendum, ita ut generalis doctrina sit; Beneficia omnia, siue gratias, adeoque etiam dispensationes, pro altera persona capaci, absque vllò eius mandato, impetrari posse à Pon-

Pontifice, prout h̄c docet Gl. cit. ver. absque speciali mandato, in fine, Felin. h̄c n. 45. Rebuffus in praxi tit. de dispens. n. 23. Nauarr. in c. si quando, except. 1. de rescript. & in consil. 2. & 4. hoc tit. Suarez lib. 6. de legibus, cap. 13. n. 6. & 7. Id̄que probatur ex l. vniuersis 5. C. de precibus Imperatori offerendis, in qua generatim habetur: Rescripta per quemcunque pro altero supplican-tem impetrata valere. Confirmatur: Cū Princeps motu proprio, seu nemine petente, gratiam quamcunque beneficium, aut dispensationem alicui conferre possit, absenti & ignoranti, l. qui absenti 3. ff. de acq. poss. c. si tibi absenti 17. de præb. in 6. Cur non etiam id possit, aliquo alio interueniente, seu pro altero petente? Veruntamen ius in re non acquiritur ei cui gratia data, donec acceptauerit, seu consenserit. Neque verò is, qui pro absente & ignorante impetrauit, eius etiam nomine acceptare potest, absque speciali mandato, eò quòd acceptatio siue consensus sit actus personalis, prout docent DD. in c. accedens 23. de præb. Felin. h̄c n. 46. Sufficit tamen, si quis postea ratam habeat acceptationem, quam alter ipsius nomine fecit, iuxta Gl. in cit. c. si tibi absenti, ver. habueris. Cū non aliud h̄c desit, quam consensus partis, qui suppleri per rati- habitationem potest, uti supra dictum.

NOTANDUM III. Persona coniuncta admittitur in iudicio ad agendum pro altero, dumòdò caueat, eum ratum habiturum, quæ acta fuerint, l. sed & hæ 35. ff. de procurator. Vbi & personæ numerantur, quæ coniunctæ cenferi debeant, videlicet liberi, parentes, fratres, affines, & liberti. Arbitrantur verò aliqui, ut Baldus in cit. l. n. 2. Abb. h̄c n. 10. has personas, veluti exempli loco numeratas esse; Exempla autem non restringunt regulam, sed declarant, ut etiam in similibus locum habere debeat. Etenim lex citata considerat affectionem coniunctorum: quare ad Iudicem pertinebit arbitrare, quæ persona ita coniuncta alteri societate, aut amicitia videri debeat, ut tanquam aliena ab omni suspicione fraudis, ad agendum admitti possit. Vide quæ dixi in c. edoceri 21. vers. Corollarium, hoc titulo.

CAPITVLVM XXIX.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Inter Ioannem & Iordanum Clericos controuersia erat de ecclesia S. Nicolai. Iordanus contra Ioannem à Sede Apostolica literas impetrauit ad Archiepiscopum Cantuariensem, & alios quosdam: sed Ioannes excipiendo opposuit, quòd vltra duas dietas à diocesi ad iudicium traheretur contra Concilium Lateranense, de quo nulla in rescripto mentio fiebat. Sed iudices hanc exceptionem admittere noluerunt, eò quòd dictus Ioannes in duabus aliis ecclesiis loco iudicij propinquioribus beneficia possideret, & eà ratione domicilium habere censeretur. Quare ab his appellauit Ioannes ad sedem Apostolicam, & appellationem prosequutus literas impetrauit ad Archiepiscopum Eboracensem, & Collega. Verùm Archiepiscopus Cantuariensis & socij eius in causa nihilominus procedentes Eboracensibus iudicibus inhiuerunt, ne causam cognoscerent. Quod cū Papæ Honorio III. significatum esset, mandauit Cantuariensibus, ut causæ cognitione superfedeant, cū non ad ipsos, sed ad iudices Eboracenses pertineat cognoscere, vtri parti iurisdic- tio competat.

SUMMARIUM.

1. Domicilium contrahitur à Clerico in loco beneficij residentiam postulantis.
2. Dieta in actione reali computanda est à diocesi domicilij, non diocesi, in qua res sita est.
3. Si quis in duabus diocesibus domicilium habeat, resq; litigiosa in vnâ earum sita sit, dieta computanda est à sine diocesi, in qua res sita est, & domicilium habetur.
4. Ad iudicem appellationis, aut ab eo delegatum pertinet cognoscere, num à sententia interlocutoria recipienda sit, & si sit.

Q 2

si sit.

si sit, inhibere iudici à quo, ne in causa procedat. Attentata post inhibitionem irrita censi debent.

NOTANDVM I. Clericus in loco beneficij sui residentiam postulantis, domicilium habere censetur, secus, si beneficium residentiam non postulet. Hæc est communis doctrina, vt videre est apud Innoc. in c. ex ore n. 3. de priuil. Abb. & Felin. h. n. 2. eundem Abb. in c. postulasti n. 4. de foro compet. licet aliter sentiat Glos. h. n. ver. domicilium. At verò Religiosi censentur habere domicilium in loco monasterij sui, teste Innoc. in cit. loco, Abb. in cit. c. postulasti n. 5. Felin. h. n. 8. Interim verò Religiosus non amittit ius suæ domicilij originis suæ, saltem quoad commodam, vt videl. ab Episcopo eius loci ordines accipere possit, prout Abb. notat cit. n. 5. Non item quoad onera siue obligationes: Quemadmodum per professionem in Religione soluitur quidem patria potestas, non autem ius seu commodum successionis in paterna hæreditate, ait Felin. cit. n. 8.

2 Porro Innoc. h. n. in princ. quem sequitur Anton. n. 18. & alij, existimat, arg. huius c. in actione reali, id est, quæ ratione rei sitæ in aliqua diœcesi, instituta sit, dietas, siue iure nouo vnam dietam, computandam non esse à diœcesi domicilij, sed diœcesi in qua res sita est. Contrarium tamen rectius docet Gl. in c. statutum l. 1. §. cum verò, ver. vnam dietam, hoc tit. in 6. quam sequitur h. n. Imola n. 12. Felin. n. 13. & alij plerique. Optimè autem declarat Abb. h. n. 3. & in c. ex parte n. 9. de foro comp. Et dicit primò, Intra diœcesin, in qua res sita est, haud dubiè conueniri posse reum coram Ordinario, c. vlt. de foro comp. Consequenter etiam coram delegato Papæ; cum Pontifex in iurisdictione concurrat cum omnibus locorum Ordinariis. Secundò; Si quis per rescriptum Papale conueniendus sit extra diœcesin, vbi res sita sit (aut vbi contraxit, vel deliquit) computatio dietarum, aut diætæ vnus necessariò fieri debet à loco domicilij, adeòque beneficij residentiam postulantis; nulla habita ratione, vbi res, de qua litigatur, sita sit. Idque probatur ex c. præc. & cit. c. statutum; in quibus dicitur, quòd reus

per rescriptum Papæ trahi non possit extra diœcesin vltra duas, & iure nouo extra vnam dietam: Atqui ratione rei possessæ non censetur aliquis habere diœcesin, aut territorium, cum neque, absolurè loquendo, subditus ibi sit; sed neque dici potest trahi extra diœcesin, in qua res sita est; cum inibi domicilium, vt ponò, non habens, ordinariè non habitet. Itaque in casu isto, si alibi domicilium sit, & alibi res sit, licet conueniri possit intra fines diœcesis rei sitæ, non tamen extra eam. Tertio; Si quis in duabus diœcesibus domicilium habeat, & in vna earum res sita sit, de qua litigatur, tunc si reus conuentus extra trahatur, diætæ computari debent à finibus eius diœcesis, in qua res sita est, simul & domicilium habetur, argum. cit. c. ex parte l. 5. de foro compet.

Quamobrem in casu huius c. iustam appellandi causam habuit Ioannes; quòd vltra duas dietas per rescriptum traheretur extra diœcesin, in qua ecclesiam S. Ioannis, de qua lis orta erat, possidebat. Non itaque rectè censuerunt Iudices Cantuarienses, dietas à finibus alterius diœcesis, in qua itidem beneficium possidebat Ioannes, computari posse: Præsertim, cum non credibile sit, inibi ad residentiam reum conuentum obligatum fuisse.

NOTANDVM II. Ad Iudicem appellationis, aut ab eo delegatum pertinet cognoscere, num appellatio ab interlocutoria sententia recipienda sit, necne: Et, si recipienda, inhibere Iudici à quo appellatum, ne in causa vterius procedat; Ita, vt quæ post inhibitionem attentata fuerint, irrita censi debeant, c. Romana 3. §. Quòd si obijciatur, & c. non solum 7. de appell. in 6. Ex quo apparet, Iudices Cantuarienses in casu huius c. malè egisse, quando ipsi, à quibus ad Pontificem appellatum, Iudicibus ab eodem delegatis inhibuerunt, ne in commissio ipsius appellationis negotio procederent; cum tamen non ad dictos Cantuarienses, sed ad alios, quibus causa appellationis à Papa delegata erat, pertineret cognoscere, fueritne causa, probabilis appellandi; & si talis videatur, inhibere.

Inte-

Interim rectè admonet hinc Innocent. n. 3. Glossa ver. inhibentes, Abb. n. 7. Felin. n. 13. quòd non rarò Iudex à Papa delegatus, non præmissà alià causæ cognitione, inhibere possit Iudici à quo, ne viteriùs procedat; si nimirum ex rescripto Papæ appareat, eum iustitiam appellationis cognouisse, iuxta c. pastoralis 28. §. præterea, de offic. deleg.

CAPITVLVM XXX.

Capitulum S. Crucis.

PARAPHRASIS.

Callimachus clericus ab Honorio III. literas monitorias, & mox præceptorias impetrauit ad Capitulum collegiatæ ecclesiæ Cameracensis, vt ipsi Canonicatus conferretur: postea verò Beatus clericus ab eadem Sede impetrauit literas executorias ad Archiepiscopum Tornacensem, & collegas eius ad similem canonicatum in eadem ecclesiâ, nullâ factâ mentione priorum literarum. Cùm autem Capitulares contra hos iudices ad Sedem Apostolicam appellarent: Iudices eo non obstante, in illos suspensionis & excommunicationis sententiam protulerunt. Postmodùm etiam Callimachus literas executorias impetrauit ad iudices alios, qui & ipsi in Capitulares sententiam suspensionis & excommunicationis protulerunt. De hoc toto processu informatus Papa, rescripsit Episcopo & Archidiacono Legionensi, vt absoluto Capitulo à sententijs suspensionis & excommunicationis, eum qui prius mandatum de prouisione faciendâ à Sede Apostolica impetrauit, in Canonicum institui curent, alteri perpetuo silentio imposito.

SUMMARIUM.

1. Excommunicatus aut suspensus propter nouam contumaciam iterum excommunicari aut suspendi potest.
2. Impetrans prior literas ad beneficium posteriori impetranti præferendus est.

3. Papa non solet grauare collatorem beneficiorum pluribus mandatis de prouidendo certis personis.

NOTANDVM I. Olim fermè consuetum erat, vt si Roman. Pontifex alicui gratiam de prouidendo ipsi beneficium faciebat, triplices literas scripserit: Primæ erant *monitoria*, quibus Papa veluti precibus primarijs adhibitis, hortabatur collatorem ordinarium, vt Titio beneficium, si quod vacet, vel proximè vacaturum sit, conferre velit. Deinde secutæ sunt aliæ *præceptorie*, quibus id ipsum præcipiebatur: postea verò hæc duo literarum genera in consuetudinem abiisse, testantur Ioan. Andr. & Abb. in c. insinuatione, hoc tit. Petr. Greg. Tholos. lib. 1. de rescript. cap. 4. n. 1. Azor tom. 2. lib. 6. c. 32. q. 2. Nisi Pontifex scribat pro receptione Monialis in Monasterium, aiunt Ioann. Andr. & Abb. cit. loco. Tertiæ sunt *executoria* literæ, in quibus executor constituitur ad compellendum collatorem, ad prouidendum ei, cui Papa mandauit.

NOTANDVM II. Qui censuram excommunicationis, aut suspensionis incurrit, propter nouam contumaciam, iterum excommunicari, aut suspendi potest. Ita colligitur ex hoc c. & fusè hanc rem explicat Suar. de censur. disp. 5. sect. 2. n. 8. & seqq. & dixi quædam in Th. moral. lib. tr. 5. p. 2. c. 6. n. 10. Videri etiam potest c. officij 42. de sent. excomm.

NOTANDVM III. Qui priùs literas ad beneficium impetrat, posteriùs impetranti præferendus est. Ita etiam habetur in c. tibi qui 12. eod. in 6. & notat Gl. margin. hinc ver. *prius*, legendum id esse, non vt aduerbium, sed vt nomen. Nisi malis dicere (siue aduerbium sit, siue nomen) sensum verborum esse: ei præbendam conferendam esse, qui prius ad eos destinatum mandatum Apostolicum reportauit, id est, impetrauit, seu assecutus est.

NOTANDVM IV. Papa non solet grauare collatorem beneficiorum pluribus mandatis de prouidendo certis personis. Ita sumitur ex hoc c. & c. mandatum 38. hoc tit.

Q3

Quant-

Quamobrem si plures mandatum de prouidendo ad eandem ecclesiam, non pro eodem beneficii corpore, adferant, is, cuius literæ posteriores sunt in *data*, repelli potest per viam exceptionis, seu oppositi grauaminis, sicuti hîc Abb. ait n. 4. Possent quidem collator vtrumque impetrandem recipere; sed non tenetur; quia si in posterioribus literis posita non sit clausula, *non obstante quod pro alio scripserimus*, intentio Papæ mandantis esse censetur, vt prouideatur impetranti, *si prius pro alio non scripserit*. Qua de re Innoc. hîc. Verum in his immorari necesse non est; quandoquidem gratiæ expectatiuæ, seu literæ de conferendo beneficio proximè vacaturo per Trid. Concilium sess. 24. c. 19. de reform. penitus sublatae sunt: Multò minùs in Germania nostra, expectatiuarum, aut mandatorum, de quibus in casu huius c. aliquis locus esse potest, propter Concordata cum Nicolao V. Papa in Constit. *Ad sacram*,

CAPITVLVM XXXI.

Ad audientiam.

PARAPHRASIS.

Aliqui Clerici cum à Sede Apostolica impetrassent literas super prouisione beneficii, renunciarunt literis eâ conditione, vt pensio annua, vel aliud beneficium ipsis conferretur. Postea ab eâdem Sede alias impetrarunt literas super prouisione ipsis faciendâ, de literis prius impetratis, & dicto modo venditis mentionem non facientes. Hoc intellecto Honorius III. decernit literas secundas ipso iure irritas esse, ideoque rescindendum esse, quidquid earum prætextu factum fuerit.

SUMMARIUM.

1. *Habens literas Papales ad beneficium proximè vacaturum, si eis renunciat cum pacto vt pensionem vel aliud beneficium consequatur, litera postero-*

res beneficiales, hoc tacito, impetratae irrita sunt.

2. *Renunciatio ista expectatiua cum pacto adipiscenda pensionis vel beneficii simoniaca est.*
3. *Litera expectatiua posteriores obreptitia sunt, si nulla in eis mentio fiat prius impetrata expectatiua, cui impetrans non absolute, sed pro pensione, aut ecclesiastico beneficio renunciat.*
4. *Rescripto gratia propter obreptionem nullo, irrita sunt etiam alia, quacumque eius occasione sine propter illud acta sunt.*
5. *Rescripta obreptitia ad lites communiter loquendo, irrita non sunt, nisi ope exceptionis.*

NOTANDVM I. Si habens literas Papales ad beneficium proximè vacaturum, ipsis renunciat, cum pacto vt pensio vel aliud beneficium consequatur, & postea, eo tacito, alias similes literas impetrat, hæ posteriores irritæ sunt. Pro intellectu aduerte primò: Nihil obitare, quòd minùs aliquis literis expectatiuis, seu ad prouidendum, renunciet, prout ex communi tradit hîc Abb. n. 7. Felin. n. 11. Imò eo ipso renunciare quispiam censetur, quando aliud beneficium, quod cum priore expectato incompatible est, cum pacifica possessione assequitur; adeo, vt tamen adeptum beneficium deinde resignauerit, tamen gratiam expectatiuâ nò recuperet, Clem. gratiæ, iun. Gl. hoc tit. Ratio dari debet: Quia habens gratiam expectatiuâ seu de prouidendo, eo ipso, quòd prouisus non est, seu collationem nullam accepit, non habet ius ad beneficium, nisi remotè; quare liberè, etiam non requisito Superioris consensu, renunciare ei potest. Quemadmodum id ipsum simili ratione dicendum est de præsentato seu nominato ad beneficium; qui itidem remotè ac præparatoriè qualequale ius acquirit. Imò hoc ipsum sentiendum de electo nondum confirmato, quòd iuri suo liberè renunciare possit, secundum Gl. receptam, in c. si electio 26. ver. renunciat, de elect. in 6.

Aduer-

2 Aduerte secundò; Si renunciatio ista expectatiuæ fiat cum conditione seu pacto adipiscendæ pensionis, vel beneficij, simoniaca censeri debet. Quæ est magis recepta sententia apud Abb. hîc n. 6. Felin. n. 11. contra Gl. ver. renunciantes, in fine; & colligitur ex hoc c. ver. taliter venditas, & ex c. vlt. de pactis, vbi omnis pactio in spiritualibus, tanquam simoniaca, damnatur. Sed neque locum hîc habet permutatio expectatiuæ cum beneficio; quia eîdem expectatiua tendat ad beneficium, quod nondum vacat, adeoque ius in illo aut ad illud, si propriè loquendû sit, non habetur, ideo permutari non potest, iuxta doctrinam Ioann. And. in c. vn. de rerum permut. in 6. Atque bene docuit Suarez tom. 1. de relig. cap. 33. de simon. n. 8. permutaciones beneficiorum odiosas, ideòque non extendendas esse; cum sint concessiones quædam, ac veluti dispensationes contra canones, quibus omnis pactio in spiritualibus prohibita est.

3 Aduerte tertio, Literæ expectatiuæ posteriores obreptiuæ sunt, si nulla in eis mentio fiat prius impetratæ expectatiuæ, cui impetrans non absolutè, sed pro pensione, aut ecclesiastico beneficio renunciauit. Ex quo indirectè colligi videtur, prout hîc Abb. annotauit num. 4. in impetratione beneficij mentionem quoque faciendam esse pensionis, si ea iure ac titulo beneficij ecclesiastici constituta sit; esto ea iniuste ac simoniacè possideatur, vti hîc notat Anton. n. 9. Ne alioquin commodum quis ex iniquitate sua reportet. Neque enim decet, vt stultus melioris conditionis sit, quàm sapiens, c. eam qui 18. de præb. in 6. Vide quæ dicentur in c. seq. in quæst.

4 NOTANDVM III. Si rescriptum gratiæ obreptitum, adeòq; ipso iure nullum sit, etiam alia quæcunque eius occasione, siue propter illud acta sint, pro irritis haberi debent. Quia ruente principali, ruit etiam accessorium, prout dixi etiam in c. 3. hoc tit. & habetur in hoc c. in fine, sumitur quoq; ex c. si super 9. de offic. deleg. in 6. latè explicat hîc Abb. n. 14. Felin. n. 17. & in n. 22. col. penult. Nauarr. in c. si quando, prælud.

1. n. 1. hoc tit. Id verò tanquam certum semper supponimus, rescripta beneficialia, & quæcunque gratiæ sunt, propter obreptionem penitus irrita esse; non item rescripta ad lites, communiter loquendo, sed ope exceptionis irritari debere. Ratio discriminis est, quia in ijs negotium determinatur ac definitur; in his præparatur tantum aut committitur, prout notauit Baldus in l. 1. n. 4. G. de colluf. deteg. Gaill lib. 1. obs. 14. n. 5.

CAPITVLVM XXXII.

In nostra.

PARAPHRASIS.

Clerici aliqui à Sede Apostolica plures literas ad diuersarum ecclesiarum beneficia impetrant, in posterioribus literis de prius impetratis nullam mentionem facientes: postea vigore vnus Apostolici Indulti in vnâ ecclesiâ recepti, licet nondum literas beneficiales assècuti, in alterâ ecclesiâ vigore aliarum literarum recipi postulant. Hoc intellecto Pontifex mandat Archiepiscopo Mediolanensi, vt hos clericos contentos receptione in vnâ ecclesiâ ad beneficium alterius ecclesiæ vigore literarum Apostolicarum aspirare non permittat, nisi in literis secundis mentio fiat, eos in vnâ ecclesiâ receptos esse.

SUMMARIVM.

1. *Receptus in canonicum cum expectatione præbende: propriè loquendo, beneficium non obrinet.*
2. *Debet in impetratione literarum ad alterius ecclesiæ Canoniam mentionem facere sua receptionis.*
3. *Unde habens & possidens beneficium, si aliud impetret, non tantum tenetur facere mentionem de habito iam & possesso beneficio, sed etiam de iure, quod habet ad consequendum beneficium, et si eo iniuste spoliatus sit.*

4. *Plu-*

4. *Plures literæ super eodem beneficio simul impetratæ omnes valent, si sint consentientes, & non repugnantes.*
5. *Idem est, si successiue sint impetratæ.*
6. *Impetrans à Papa beneficij vacantis collationem per modum concursus, aut secundum Concordata Germaniæ in mense Papali, posterior gratia beneficalis obreptitia est, si nulla mentio fiat gratiæ de alio beneficio prius impetratæ.*
7. *Habens à Papa gratiam expectatiuam, si aliam impetret ad aliam ecclesiam, posterius rescriptum irritum erit, nisi priori renunciatum esse constet.*

NOTANDVM I. Receptus in Canonicum cum expectatione præbendæ, propriè loquendo, beneficium non habet, prout constat ex definitione beneficij, quam tradidi in Theol. moral. lib. 4. tr. 2. cap. 1. *Ius perpetuum recipiendi redditus ex bonis ecclesiæ, ratione spiritualis officij, ecclesiasticâ auctoritate constitutum.* Sanciturque istud not. ex hoc c. ibi, *Licet nondum in eis ecclesiasticum beneficium sint assecuti.*

NOTANDVM II. Qui in canonicum, cum expectatione præbendæ, receptus est, debet in impetratione literarum ad alterius ecclesiæ canonicam, mentionem facere receptionis suæ. Hæc est præcipua intentio huius c. Ex quo colligitur, quod impetrans à Papa literas ad beneficium, siue præbendam, non tantum de prius habito & possesso beneficio mentionem facere debet, c. cum ad eod. 17. hoc tit. c. si motu 2. 3. de præb. in 6. sed etiam de iure, quod habet ad consequendum beneficium, seu præbendam; quale ius habet qui in canonicum receptus; debetur enim ei suo tempore præbenda. Quæ eadem ratione docet Abb. hic n. 10. quod beneficio iniuste spoliatus, de eo in impetratione alterius mentionem facere debet: quia licet redditus nullos percipiat, habet tamen ius ac titulum percipiendi. Etenim qui actionem habet, siue ius petendi præbendam, aut eptam recuperandi, ipsam rem habere videtur, reg. 15. ff. Idq; etiam in personali actione locum habere declarat Gl. ibidem.

QUESTIO est: An literæ plures, seu simul & sub eadem datâ, seu successiue, super eodem, aut diuersis beneficijs impetratæ, nullâ alterius impetrationis factâ mentione, subsistere possint? Respondeo & Dico I. Si plures literæ super eodem beneficio simul, siue eodem die, v. g. consecrationis Papalis, per diuersos intercessores impetrentur, ambæ aut omnes valent, si consentiant, seu repugnantes non sint. Hæc est communis doctrina apud Abb. hic. n. 5. Felin. num. 1. Cum enim ambæ literæ eandem formam & datam contineant, in effectu censentur eadem, quamuis plura exemplaria: quemadmodum & vnicum testamentum in pluribus chartis authenticis consignari potest, l. vnum 23. ff. Qui testameta facere possunt. Idque interdum necessarium esse potest, siue cautionis causa fieri, vt si forte vnum amittatur, alterius vsus esse queat, prout in ead. l. dicitur, & annotauit Gl. in c. extenore 16. ver. negotio, hoc tit.

Dico II. Idem pari ratione sentiendum, si aliquis plures literas successiue super eodem beneficio impetret, vt videl. magis munus sit. Ita Abb. n. 6. Anton. n. 9. Imola n. 6. Cum enim duo rescripta sub eadem formâ ad eundem effectum tendunt, non debet vnum per alterum elidi: sed veluti vnum rescriptum, quamuis indubitatus aut securus, reputari. Videri potest Gl. cit.

Dico III. Si quis à Papa gratiâ beneficalē non per modum præuentionis seu expectatiuæ obtinuit, sed beneficij vacantis collatione per modum concursus, aut secundum Germaniæ Concordata in mense Papali, certum esse debet, posteriorem gratiam beneficalē obreptitiam & irritam fore, si nulla mentio fiat gratiæ de alio beneficio prius impetratæ: eod quod per eiusmodi gratiam impetratam, licet nondum præsentatam, nec plenæ executioni mandatam, ius acquisitum sit.

Dico IV. Si quis à Papa gratiam expectatiuam de prouidendo consecutus sit, & vel eodem tempore seu sub eadem datâ, vel sub diuersa, aliam expectatiuam ad aliam ecclesiam impetret, dubium est in vtramque partem disputabile, num vtrumque rescriptum valeat,

7 valeat, ita vt in optiōne impetrantis sit, quo eorum vti velit. Partem affirmantem videtur amplecti Gl. hęc, & tenet Petr. Greg. Tholos. super hoc c. Idque probari posse videtur tum ex hoc c. ver. in aliis recepti: Ergo per sensum contrarium, si ratione literarum, Clerici impetratores in aliis ecclesiis nondum recepti fuissent, aliter dicendum foret. Tum quia expectatiua propriè loquendo non tribuit ius ad beneficium, sicuti supra dixi in c. præc. Ergo non debet comprehendere ea regula, qua dicitur, quod impetrans gratiam beneficalem, teneatur facere mentionem de quolibet antè impetrato beneficio, aut iure beneficiali.

Contrarium tamen communiter tenent DD. Innoc. hęc n. 7. Ioann. Andr. & Abb. n. 7. Imolan. 11. Felin. col. 2. Ioan. Azor tom. 2. lib. 6. cap. 33. q. 5. Ratio dari debet, non quia per expectatiuam ius beneficiale acquiratur, cuius mentio faciendā sit, prout sentire videtur Azor. cit. loco: sed quia taciturnitas huius expectatiuæ est rei intrinsecè pertinentis ad rescriptum posterius, quod Papa, si veritatem cognouisset, non dedisset, aut certè alio modo & conditione dedisset: Cùm alioquin occasio præbeatur exercendis fraudibus, si duas, aut plures gratias, seu rescripta beneficia validè impetrentur, eaque occasione plura in diuersis ecclesiis beneficia quandoque acquirantur. Cùm itaque fraudibus & malitiis hominum obuiandum sit, & rescripta beneficia propter hominum arcendas cupiditates, odiosa censeantur, iuxta cap. 4. de præb. in 6. ideo existimandum est, contra intentionem Pontificis, atque obreptitiè obtineri. Itaque in casu isto posterius datæ literæ irritæ erunt, præterquam si constet, aut probari possit, prioribus renunciatum esse.

Atque hæc inseruiet pro casu illo; si quis clericus ad beneficium præsentatus, seu nominatus, aliud beneficium à Pontifice impetret, nullā præsentationis illius mentione factā, nisi literæ Papales obreptitiæ, & irritæ sint: Affirmandum cum Azor cit. q. 5. Non quod præsentatus, propriè loquendo, ius ad beneficium consequatur; cùm reuerà non habeat nisi remotum ac præparatum;

sed quia hac occasione ad pluralitatem beneficiorum, contra sacros canones, præter & contra voluntatem Papæ gratiam concedentis, aperiretur: Ideoque censeri hæc debet taciturnitas veritatis per se pertinentis ad negotium; quæ cognita gratia vel penitus facta non esset, vel saltem non eo modo, sed cum conditione, onere, &c. Quæ responsio saltem tunc vera est, si is cui præsentatio facta, teneatur præsentatum in beneficio instituere, per ea quæ tradit Felin. in c. in nostra n. 4. de rescript. Selua de benef. p. 3. q. 11. n. 1. & 2.

Ad argumentum 1. pro parte affirmante resp. ex ijs verbis nihil colligi posse pro questionis decisione; cùm solum contineant casus Pontifici propositi relationem. Ad 2. patet responsio ex dictis.

CAPITVLVM XXXIII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Papa priuilegium concessit Decano & Capitulo ecclesiæ Laudunensis, vt contra iniustos impetitores suos sententiam excommunicationis proferrent. Vi huius priuilegij excommunicarunt virum nobilem Ioannem, à qua sententia is ad Sedem Apostolicam appellasse videtur. In hac controuersia vtraque pars misit procuratorem Romam, sed lite coram Papa contestata, cùm procuratores rei gestæ fidem exhibere non possent, controuersia commissa fuit iudicibus delegatis, eo adiecto, vt in causa procedant, tamen postea aliæ literæ, sed absque vtriusque partis consensu, impetratæ fuerint. Ab his porro iudicibus citatus Ioannes, respondit se non obligari ad litigandum coram ipsis, quia Vincentium procuratorem ante expeditionem literarum reuocavit propter suspicionem, quam aduersus eum acceperat. Sed contra hoc opposuit Capitulum, quod ea reuocatio mandati procuratoris nec ad ipsos, nec ad Pontificem peruenisset: quare iudices delegati pronunciarunt,

R non

non obstante eà reuocatione ad ipsos spectare, vt de causa sibi commissã cognoscant. Quod cum agerent, procurator Capituli iudicibus exhibebat priuilegium Apostolicum, ex quo apparet, Capitulo potestatem non defuisse excommunicandi Ioannem: Ex aduerso stans procurator Ioannis alias Apostolicas postea impetratas exhibuit, quibus continebatur, vt si causam ex vtriusque partis voluntate definire non possent, illam cum sufficiente processûs habiti informatione vnã cum priuilegio Capituli ad Sedem Apostolicam remitterent. Sed Capitulares dicebant, literas has posteriores irritas esse, quippe impetratas à Vincentio procuratore post reuocationem mandati. His omnibus intellectis ac ritè perpèsis, Resp. Gregorius IX. Si reuocatio mandati ad procuratorem peruenerat, literas ab eo posterius impetratas irritas esse debere, ideòque à iudicibus delegatis causam decidendam esse secundum præcedentium Apostolicarum literarum concessionem. Cum enim in Concilio Lateranensi literæ Apostolicæ ad lites sine speciali mandato impetrari nequeant, nisi impetrans nomine alieno persona sit coniuncta, multo minus valere debet impetratio literarum facta à procuratore, posteaquam mandati sui reuocationem cognouit.

SUMMARIUM.

1. Capitulum, etiam Cathedralis Ecclesia, de iure communi, iurisdictionem spirituales non habet; habet tamen interdum ex priuilegio Apostolica Sedis, aut consuetudine legitime præscripta.
2. Index notorie iniuriam passus ratione publici officij, potest incontinenti contra iniuriam inferentem procedere.
3. Index delegatus cognoscere potest, num sua sit iurisdictione, et si pars citata neget eam illam competere: sicus est de Ordinario.
4. Pronunciatio, iudicem se esse, est sententia interlocutoria: habet tamen vim

definitiuã, à qua etiam civili iure appellari possit.

5. Dicitur Aduersarij secundum vnum effectum impugnari potest, secundum alium admitti, vel etiam contra Aduersarium retorqueri.
6. Procurator ad negotia constitutus vt validè reuocetur, debet ei reuocatio intimari; & hoc sufficit, etiam si pars contrahens cum eo ignoret. Qua post insinuatam reuocationem acta sunt, irrita habentur.
7. Excipitur tamen contractus matrimonij, & acceptatio beneficij ecclesiastici facta à procuratore post reuocationem mandati, etsi eius notitia ad eum non peruenerit. Idem est, si sit simplex mandatarius, siue merus interuentus mittentis.
8. Etiam per tacitam reuocationem, qua fit morte mandantis, reuocatur mandatum.
9. Procurator constitutus ad contrahendum, vel quasi contrahendum cum certa persona, in cuius præiudicium ac damnum cedit reuocatio procuratoris, ordinariè illi huius reuocatio insinuari debet, aliter, licet eam sciat procurator, quæ gestarata erunt.
10. Procurator ad lites post litem constitutam vt validè reuocetur, reuocatio debet insinuari Iudici, vel Aduersario.
11. Procurator generalis ad negotia, siue Institor, in certo loco constitutus, in eo reuocatio illius palam significanda.

NOTANDUM I. Ver. auctoritate Apostolica indulgentie, Capitulum, quamuis sit ecclesiæ Cathedralis, non habet, iure communi spectato, iurisdictionem spirituales, cuius actus sunt excommunicare, interdicitu ferre, &c. sed interdum ex priuilegio Apostolicæ Sedis, aut consuetudine legitime præscripta. Ita notat hic Ioan. Andr. Antõ. Imola, Abb. Felinus, & alij, post Gl. in c. irrefragabili 13. ver. per Capitulum, de offic. Ordinarij, Gl. in c. dilecto 6. ver. Decano, de sent. excomm. in 6.

NOTANDUM II. Circa ver. prouulsi sententia, & Si cau-

Si causa offensionis notoria sit, potest is qui iurisdictionem præditus est, contra offendentem, seu iniuriam ratione publicæ auctoritatis inferentem, incontinenti procedere. Quæ est limitatio quædam eius regulæ: quod nemo in propria causa iudex esse potest. Quæ doctrina etiam colligitur ex suprâ cit. c. dilecto, & notat hic Anton. n. 5. Dixi de hac re in Th. moral. lib. 3. tr. 6. c. 2. q. 4. except. 2.

3 NOTANDUM III. Ver. per quandam interlocutoriam protulisti. Iudex delegatus cognoscere potest, num sua sit iurisdictionis: tamen pars citata omnis iurisdictionis defectum obicit, seu dicat, nullam penitus iurisdictionem competere ei, qui se delegatum asserit. Ratio dari debet: Quia iudex delegatus omnia agit nomine delegantis, cuius iurisdictionis cum, ut ponimus, fundata sit, & in dubium non reuocetur, habet etiam delegatus potestatem cognoscendi de eo, quod ab ipso promanat; videl. vtrum literæ delegationis validæ sint, necne. Sed aliud dicendum videtur de iudice ordinario, v. g. Episcopo, cui si obicitur, non esse legitimum Episcopum, ideòque iurisdictione carente, de hoc dubio, si, ut pono, probabiliter opponatur, ipsemet cognoscere, & interlocutoriè dirimere non potest; cum certus non sit de iurisdictione sua, siue, iurisdictionis eius fundata non sit. Et ita docet Abb. in c. super literis n. 10. casu 3. hoc tit. ibidem. Felin. n. 23. fall. 3. post Bartol. in l. ex sententia, prope finem, ff. de testament. tutore, Baldum in l. Iudices n. 2. C. de fide instrument.

4 Circa idem verbum per quandam interlocutoriam, admonet Abb. hic not. 6, quod pronuntiatio iudicem se esse, sit sententia interlocutoria, habens tamen vim definitiuæ, ita ut etiam civili iure ab ea appellari possit, secundum Gl. in Auth. Habita, in fine, C. Ne filius pro patre &c. Vide Andr. Gaill lib. 1. obseru. 130. n. 9.

5 NOTANDUM IV. Dictum aduersarij, quod aliquis impugnat secundum vnum effectum, admittere potest, imò etiam retorquere contra aduersarium secundum alium effectum. Exemplum affert Bartol. in l. non vtrique, ff. de except. Si Titius debitor pupilli,

conuentus à tutore, excipiat se debitum soluisse pupillo; hoc in casu tutor exceptionem istam admittere poterit, quatenus Titius per eam virtualiter fatetur, debitorem se fuisse: non enim soluisset, nisi debuisset. Non autem admittet exceptionem eo fine, ut iterum soluere non teneatur, si solutio absque tutoris auctoritate facta fuit pupillo. Simili ratione in hoc c. Confessionem Ioannis recipere noluit Capitulum ad effectum irritationis priorum literarum: Postea tamen eadem reuocationis confessione nixi sunt Capitulares ad effectum irritationis literarum posteriorum. Idque notauit Gl. hic ver. non valere dicebant, Abb. n. 5. dicens, quod aliquis fundare se potest super eo, quod impugnat, si ad alium effectum impugnet, & ad alium se fundet. Videri etiam potest Abb. in c. bonæ 2. n. 29. de Prælat. Felin. in c. Capitulum n. 13. ad finem hoc tit.

NOTANDUM V. Acta à procuratore valida sunt, si reuocatio ad notitiam procuratoris non peruenit. Ita hic ver. si reuocatio, iun. Gl. ibidem. Imò si procurator ad lites constitutus sit, atque interfit aduersarij, & Iudicis, reuocatione cognitam esse, necesse etiam est, ipsis eam intimari, alioquin valebunt acta cum procuratore reuocato, prout ex hoc etis c. colligi potest, & paulò post declarabo.

QUESTIO enim hoc loco vniuersim tractari potest; Vtrum reuocatio Procuratoris valeat, tamen non venerit in notitiam ipsius procuratoris, Iudicis, aduersarij, aut alterius partis contrahentis. Respondeo, & Dico I. Si procurator ad negotia constitutus sit, eius reuocatio antè vim non habet, quam ad ipsum peruenerit: quæ autem postea ab eo acta sunt, irrita censeri debent. Ita habetur in l. si mandasses 15. ff. mandati. Idemque locum habet in reuocatione tacita, quæ fit per mortem mandatis, l. inter causas 26. princ. ff. eod. & tradit Gl. communiter recepta in Clem. vn. ver. ignorantem, de renunc. Doctores alij apud Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 11. n. 6. Ratio prioris partis affertur in cit. l. si mandasses, ne damno afficiatur is, qui mandatum suscepit. Interest enim plerumque procuratoris, mandati reuocationem scire: quandoquidem ipse contrahendo cum altero obli-

gationem contrahit, l. 1. C. de sent. & interloc. Posterior vero pars, quod videlicet sufficiat procuratori intimari reuocationem, etiam si pars contrahens eum eo, ignoret, inde probatur, quia aliorum contrahentium plerumque non interest reuocationem scire; cum saltem procuratorem sibi obligatum habeant, iuxta cit. l. 1.

7 Sed excipitur primò contractus matrimonij, quod validum non est, si celebretur à procuratore ignorante reuocationem mandati sui, quod habuit enim certa persona nomine mandantis contrahendi, c. vlt. §. sanè, de procurat. in 6. Ratio est, quia cum consensus contrahentium principalium ad essentiam matrimonij requiratur, ideo ius eum supplere non potest, sicuti in aliis contractibus supplet, prout bene explicat Suarez citato loco.

Excipitur secundò cum Felin. hinc n. 11. Quod acceptatio beneficij ecclesiastici facta à procuratore non valet, post reuocationem mandati, etsi ad procuratorem non peruenerit. Rationem dat Felin. quia inter beneficiarium & ecclesiam quasi spirituale matrimonium quoddam contrahitur, ad cuius valorem consensus acceptantis formalis & actualis requiritur. Sed alia ratio dari potest ex l. si pater 4. ff. de manumissis vindicta, vbi Bartol. & Dynus generalem regulam tradunt, quod reuocatio mandati valet, etsi non perueniat ad notitiam mandatarij, si exinde non lædatur, siue eius non interfit, sicuti accidit in casu beneficij pro altero acceptati.

Obstare autem videtur Clem. vii. de Renunc. vbi habetur, renunciationem beneficij factam à procuratore post reuocationem eius, validam esse, etsi reuocatio neque ad procuratorem, neque ad eius, in cuius manibus renunciatio fieri debet, notitia peruenerit. Sed persistendo in tradita doctrina, respondetur, id specialiter ibi constitutum esse in casu renunciatu beneficij, ad puniendam inconstantiam, quæ ecclesiasticas personas, præsertim in hoc rerum genere, non parùm dedecet, vti ex princ. eiusdem Clem. satis colligitur. Videri possunt Dominicus, & Ancharanus & alij in cit. c. vlt. de procurat. in 6.

Tertiò excipi, seu potiùs declarari assertio debet, Si non sit procurator, cui potestas siue generalis, siue specialis ad negotia peragenda data sit, sed simplex mandatarius, siue merus internuncius; & instrumentum mittentis: Huius executio non valet post mandati reuocationem, etsi reuocatio ad notitiam ipsius non peruenerit, vti hic notauit Felin. num. 18. Petr. Ancharan. in cit. cap. vlt. Molina tom. 2. tract. 2. de iustit. disp. 263. num. 4. Sanchez cit. disp. 11. num. 7. Exempli causa, si miseris nuncium, vel famulum cum simplici mandato donandi scriptum aureum Sempronio, non valebit traditio donatioque facta, postquam mutata voluntate, reuocasti mandatum: Si tamen nuncius, siue simplex iste mandatarius, vel qui cum eo bona fide contraxit, damnnum inde passus sint, iis refarcire debes; quippe cum causa eius fueris.

His adde, quòd etiam per tacitam reuocationem, quæ fit morte mandantis, reuocatur mandatum v. g. donandi aliquid alteri, vt postea efficaciter impleri non possit, l. 2. iun. Gl. ver. dominij, ff. de donat. & docui lib. 3. Theol. moral. tr. 4. c. 1. n. 4. & 5.

Dico II. Si Procurator constitutus sit ad contrahendum, vel quasi contrahendum cum certa persona, in cuius præiudicium ac damnum reuocatio procuratoris cedere potest, hoc in casu, ordinariè loquendo, necesse est, reuocationem etiam personæ illi imnotescere: alioquin rata erunt, quæ à procuratore, quamuis sciente reuocationem, adeoque malà fide acta fuerunt. Ita docet Abbas hinc num. 10. Felin. num. 22. Angelus in tit. Instit. de mandato, §. rectè, n. 7. Nota autem, quòd dixi de procuratore constituto ad contrahendum, v. g. emendum, mutuo accipiendum à certa persona, aut quasi contrahendum, videl. in iudicio, iuxta l. 3. §. Idem scribit, ff. de peculio: Si enim misisti procuratorem ad lites; isque litem cum aduersario tuo contestatus est, quod is postea egerit, ratum habere debes, tametsi mandatum reuocaras, si reuocatio ad Iudicem, vel aduersarium non peruenit, vti colligitur ex hoc c. & habetur expres-
sus

sius in c. mandato 13. de Procurator. & do-
et Abb. in cit. n. 10. Felin. cit. n. 24. Bartolus
in l. vn. n. 7. C. de satisfando.

His addendum est; Si quis in certo loco
generalem procuratorem ad negotia, seu
potius institorem constituerit v. g. ad mer-
ces vendendas, necesse esse, vt eius reuoca-
tio palam in eo loco significetur, prout do-
cuit Bartol. in cit. l. vn. n. 9. Ioann. Andr. hic
n. 17. Felin. n. 7. Abb. in c. 3. n. 5. de procurat.
& sumitur ex l. sed si pupillus 9 ff. de quo,
ff. de iustitia actione. Institor autem est,
qui tabernæ, vel cuilibet alteri negotiationi
præpositus est; ita dictus, quod negotio ge-
rendo instet, l. institor 3. ff. eod.

Ex dictis denique clarè intelligi potest;
Cur reuocatio procuratoris in casu huius c.
facta à Ioanne sine Capituli & Papæ notitia,
sufficiens non fuerit ad infirmandas literas
priors; quippe cum eæ post litis contesta-
tionem à Sede Apostolica, eum vtriusque
partis consensu impetratæ fuerint; ideòq;
reuocatio præiudicialis esse potuit, tam Ca-
pitulo litiganti, quam ipsi Pontifici, coram
quo lis introducta fuit. At verò eadem
procuratoris reuocatio, si, vt ponitur, ad
ipsius notitiam delata est, non item ad no-
ticiam Capituli & Pontificis, sufficiens fuit
ad infirmandas literas posteriores; quippe
quæ extraiudiciales erant, atque in commo-
dum solius impetrantis datæ. Vide Gl. in
casu. Abb. hic n. 10.

CAPITVLVM XXXIV.

Significante.

PARAPHRASIS.

Raphaël literas Apostolicas ad iudices quos-
dam impetrauit contra Vitum super con-
trouersia de Bannis, & quibusdam alijs
similibus. In literis autem scriptum erat
de Vito diocesis Remensis. Vitus à iu-
dicibus citatus opposuit se vigore eius
rescripti conueniri non posse, quia non
de Remensi, sed Leodiensi diocesi sit.
Cum autem iudices exceptionem hanc
admittere nolentes nihilominus proce-

derent, ab ijs appellauit ad Sedem Ro-
manam. Quare Gregorius IX. scripsit
ad Decanum & Canonicum quendam
ecclesiæ Leodiensis, vt, si rem ita se ha-
bere cognouerint, irrita esse declarent,
quæ à prioribus iudicibus acta fuerunt.

SUMMARIUM.

1. Rescriptum impetratum contra homi-
nem, qui in eo dicitur esse certa diocesis,
qui tamen est alterius, obreptitium ha-
betur.
2. Error in nomine, siue alijs signis, aut
qualitatibus rei demonstranda causâ
adiectis, nihil obest dispositioni, si res
ipsa nota sit; secus est, si error in his fiat
per modum determinationis, siue taxa-
tionis.
3. Mandata de beneficio prouidendo non
debent ad casus alios, quàm expressos
extendi.

NOTANDVM VN. Qui coram Iudice per
literas Papæ delegato in aliqua diocesi
conuenitur, in quibus dicitur, conuentum
esse eiusdem diocesis, cum tamen ex alia sit
diocesi, contra literas, tanquam obreptitias
excipere potest. Hic est verus sensus, ac ve-
luti mens c. huius, prout significat Gl. hic
ver. Non de Remensi, & bene declarauit San-
chez lib. 8. de matr. disp. 2. n. 39. Eandem-
que doctrinam tradidit Baldus in l. prescrip-
tione 15. C. Si contra ius &c. Si quispiam
in supplicatione narrans pecuniam se mutu-
asse Titio, ciuitatis Perusina, cum tamen is
iurisdictioni illi subditus non sit, impetrat
contra eum rescriptum iustitiæ ad Iudicem
Perusinum; reus citatus excipere & rejicere
potest rescriptum. Quia error iste causa
finalis fuit, cur ad hunc iudicem rescriptum
fuerit directum, eò quòd, sicuti Baldus ibid.
ait, & Innoc. in c. dilecti n. 3. de foro comp.
Vbi quis sortitur forum Ordinarij, sortitur
etiam forum eius, cui Ordinarius subordi-
natus est, videl. Papæ, qui est Ordinarius Or-
dinariorum.

Aliter verò formant casum, atque deci-
sionem

tionem huius c. Innoc. Ioann. Andr. Anton. Imola, Abb. Felin. in princ. siue num. 1. quòd *rescriptum impetratum contra hominem vnius diœcesis, non extenditur ad hominem eiusdem nominis alterius diœcesis.* Id verò diuersimodè explicant: Vel vt error acciderit circa personam, quia is, contra quem in alia diœcesi existentem rescriptum impetratum erat, alius homo fuit, quamuis eiusdem nominis. Et secundùm hunc sensum, quem sequitur Abb. antiquus hîc, doctrina quidem vera est, sed non congruit verbis c. huius. Vel vt error duntaxat acciderit circa qualitatem personæ, quasi ea esset huius diœcesis, cum tamen alterius esset; interim verò constaret de corpore. Et hic casus magis conuenit c. nostro: quandoquidem Vitus conuentus non negauit se eum esse, contra quem rescriptum impetratum est; opposuit verò se non ex diœcesi Remensi esse, sicuti in literis continebatur, sed ex Leodiensi. Qui tamen error cum consistat in qualitate accidentariæ demonstrationis, disputant DD. citati, num is vitare debuierit rescriptum,

2 Pro intellectu huius rei annotanda est doctrina communiter recepta, quam hîc tradit Abb. n. 4. & in c. super literis n. 6. Felin. ibid. n. 3. limit. 4. Rota Roman. decis. 4. aliàs 582. de rescript. in antiquis. Sanchez cit. disp. 21. n. 35. & seqq. Error qualitatis adiectæ per modum demonstrationis, si de rei corpore constet, rescriptum, aliâque dispositionem non vitiat, si etiam sine tali errore, dispositio aut concessio ita facta fuisset. At verò error qualitatis adiectæ per modum determinationis, siue taxationis, vitiat rescriptum siue dispositionem; esto, error non fuerit eius causa: quia etiam eo remoto dispositio aut rescriptum ita prodijisset. Prior pars huius doctrinæ habetur in l. demonstratio 17. ff. de condit. & demonstrat. *Si ita seruus legatus sit, Stichum cocum, Stichum Sutorem Titio lego, licet neque cocus, neque suus sit, ad legatarium pertinet, si de eo sensisse testatorem conuenit.* In l. si quis fundi 4. ff. de legatis 1. *Si quis in fundi vocabulo errauerit, & Cornelianum*

pro Semproniano nominauerit, debetur Sempronianus. Et Instit. de legatis; *Si quis in nomine, cognomine, pronomine, agnomine legatarij errauerit, si de persona constat, nihilominus valet legatum.* Nomina enim significãdorum hominum causa reperta sunt, qui si alio quolibet modo intelligantur, nihil interest. Quæ ratio generaliter probat traditam doctrinam; errorem siue in nomine, siue alijs signis aut qualitibus rei demonstrandæ causa adiectis, nihil obesse dispositioni, si res ipsa nota sit, prout etiam habetur in cit. l. demonstratio. *Nam etsi in persona legatarij designanda aliquid erratum fuerit, constat autem cui legare uoluerit, perinde valet legatum, ac si nullus error interuenisset.*

Idemque euenire potest in gratijs, ac dispensationibus: Si v. g. dispensatio petita sit pro Iacobo Fabro; at verò in rescripto, per errorem, nominetur Iacobus Molitor; vel scribatur pro Iacobo Fabro, & dicatur esse Doctor Decretalium, cum sit Doctor Legû.

Sed dubium est, quod mouet Sanchez cit. disp. 21. n. 38. Si ponamus, Iacobum Fabrum esse hominem notum Pontifici, quem per errorem imaginatur sibi esse supplicentem, & ideo eius nomen rescripto siue gratiæ dispensationis inseritur, quæ tamen, vt pono, nihilominus emanasset erga Iacobum Molitorem, nisi error interuenisset; num rescriptum gratiæ prodesse possit supplicanti Iacobo Molitori? Affirmat Sanchez cit. disp. 21. n. 38. Quia in hoc casu error potius speculatiuus, quàm practicus interuenit, quando Papa, propter merita causæ sibi propositæ, absolutè vult dispensationis gratiam conferre homini supplicanti, vel pro quo ipsi supplicat; licet quoad applicationem erret, existimans esse alium hominem, quàm reuerà sit, iuxta ea quæ de intentione Ministri in sacramentis docui moral. Theol. lib. 5. tract. 1. cap. 4. n. 6. Respondeo autem, licet hæc doctrina valde probabilis sit, si loquamur de concessione gratiæ secundùm se, quatenus ad substantiam eius, saltem in conscientiæ foro, scriptura non requiritur; sed sufficit Principis voluntatem declaratam & eogni-

cognitam esse; cuiusmodi voluntas hinc deesse non videtur; Attamen ipsum rescriptum dispensationis in voto, v. g. aut impedimento matrimonij; multoque magis beneficiale, aut ad lites, (quippe magis odiosum) irritum erit, nec executioni mandandum. Nam error circa personam, tanquam substantialis, vitiat rescriptum, vti omnes fatentur: In hoc autem rescripto continetur error circa personam, & quidem non accidentaliter seu quoad nomen tantum; (quia positus est *Jacobus Molitor* per errorem pro *Jacobus Faber*;) sed per se, & ex intentione concedentis; quia is putabat, pro hoc homine petum esse, & ideo pro eo rescriptum fuit.

Nunc probatur altera pars supra traditæ doctrinæ, & quidem ex iam tradito fundamento; Quod error rescriptum, aut dispositionem quamlibet vitiat, si sit circa substantiam rei, quæ conceditur, aut personam cui conceditur, & vno verbo circa substantiale obiectum eius, prout docui lib. 3. moral. Theol. tr. 4. cap. 5. n. 1. At verò error qualitatis rescripto adiectæ per modum determinationis, seu taxationis redundat in personam, aut substantiam rei, quæ per qualitatem determinatur, vti docui lib. 5. moral. Theol. tract. 10. p. 4. cap. 2. assert. 2. limit. 2. Exemplum huius rei in rescripto iustitiæ attuli supra in c. super literis not. 2. declar. 4. hoc tit. In legatis exempla sunt: Si ita legauerit testator: *Pecuniam, quæ in designata arca est, Titio dari volo*, irritum est legatum, si in arca pecunia nulla sit. Sin verò ita: *Pecunia, quæ in arca est, atque olim mihi à Caio donata, Titio detur*; valet legatum, si pecunia in arca sit, licet testatori à Caio non donata, eò quòd satis constat de corpore pecuniæ; vt proinde per falsæ qualitatis demonstrationem vitari non debeat legatum, iuxta supra cit. l. demonstratio, & l. quidam testamento, 99. iun. Gl. margin. noua, ff. de legatis 1. & Instit. de legato, §. Huic proxima. Eadè que ratione, si error accidat circa personam, cui legatur; *Habeo nunc seruum in villa, eum manumitti iubeo*; irrita est dispositio testatoris, si seruos quidem

habeat, sed nullum in villa; Sin autem dicat, *seruum meum Pamphilum, quem nunc in villa alo, manumitti iubeo*, valida est dispositio, cum de persona constet. Semper tamen excipiendum, nisi de contraria testatoris voluntate liquidò appareat.

In rescriptis ad beneficia elegans casus, siue exemplum doctrinæ eius, habetur in c. susceptum 6. hoc tit. Si Papa pro duobus clericis beneficium quoddam vacans postulantibus scripserit, quorum prior proposuerat, vacare illud per obitum; posterior verò scripsit vacare per cessionem beneficiarij; hoc in casu beneficium ei conferri debet, qui posterior impetrauit, si non per mortem, sed per cessionem seu resignationem vacet. Eodè que in c. generalis regula traditur; Si Papa mandet Titio beneficium conferri, quod per renunciationem Caij vacabit; non posse illud Titio conferri, si Caius prius moriatur, quam beneficium renunciet; adeoque illud per obitum vacare contingat. Rationem ibi assignabimus ex verbis eius c. Quia beneficium per obitum vacans est veluti species distincta à beneficio vacante per renunciationem; Siue, vt aliter dicam, qualitas hæc vacationis per renunciationem est determinatiua seu specificatiua beneficij; consequenter si qualitas in beneficio desit, siue in ea erratum sit, vitabitur commissio siue rescriptum.

Cæterum, si constet de subiecto, ac veluti corpore alicuius beneficij vacantis v. g. per renunciationem Caij; adijciatur verò falsa demonstratio, vt quòd sit patronatus laici, cum sit ecclesiastici, vel liberæ omnino collationis, eiusmodi error non vitiat rescriptum, si etiam eo sublato, rescriptum eodem modo emanasset; neque Curia Rom. stylus expressionis eiuscæ qualitatis postulet.

Simili ratione in c. cum de non 27. de præb. in 6. habetur; Si Papa mandet alicui conferri præbendam sacerdotalem, non posse ei conferri præbendam non sacerdotalem, seu diaconalem: Item, si mandet alicui conferri præbendam integram, non posse conferri dimidiam, tametsi impetrans, siue is pro quo scribitur, dimidià contentus esse velit: denique si

Papa

Papa mandet alicui conferri præbendam certæ valoris, aliam minoris valoris, etiam volente impetrante, conferri non posse: Ad iurisdictionem autem ad verba eiusdem c. *In ecclesia, in qua integra & dimidia præbenda habentur*. Ex his enim apparet superius tradita doctrina, si subiectum secundum se indeterminate & ad diuersas veluti species indifferens, determinetur ad rem siue speciem certam, esse qualitatem taxationis: Secus autem esset, si omnes præbendæ in aliqua ecclesia dimidiæ aut minoris valoris essent, & Pontifex pro Titio scriberet, ut vacans, aut proximè vacatura præbenda, quæ integra, aut maioris valoris sit, conferretur. Hoc in casu conferri debet præbenda dimidia: quia qualitas, in qua errauit Pontifex, non taxationis, sed demonstrationis tantum est.

3 Adijcitur verò ibid. veluti confirmationis causa, quòd huiusmodi mandata de *providendo beneficio non debent ad casus alios, quam expressos, extendi*: Quia fines mandati diligenter sunt custodiendi, l. diligenter §. ff. mandati; Neque interpretatione benignâ, siue per epikeian extendi potest; eâ ratione, quòd Principalis etiam alterum mandaturus fuisset, si in mentem ei venisset &c. Cum enim aliud, & non istud mandarit, sequendus est tenor & forma mandati, ut docet Innoc. in c. super literis n. 3. hoc tit. Et ideo generalem regulam tradit idem Innoc. hic, Syl. ver. rescriptum q. 1. in fine, Philip. Decius in reg. 110. ff. n. 13. quòd rescripta ad beneficium de casu aut persona expressa ad casum aut personam non expressam extendi haud possint.

Ex dictis intelligi potest Rotæ Romanæ decis. 4. de rescript. quam supra allegavi, Abb. hic n. 6. & in c. super literis n. 6. eod. tit. Felin. hic n. vlt. Si Papa iusserit conferri alicui beneficium sacristiæ, & appellauerit dignitatem, cum esset duntaxat officium, non currere rescriptum: quia error est in qualitate demonstrationis, non taxationis, seu determinationis: sed neque causa est concessionis gratiæ, quia si Papa sciuisset, non esse dignitatem, nihilominus cõcessisset: etenim

qui dignum maiore reputauit, etiã minore donasset. Quæ vera doctrina est, dummodò ponamus, constare de certo beneficii corpore, quod conferendum sit, & per errorem appellari dignitatem, sicuti ibidem Rota supponit. Sequens verò dicendum foret, si Papa mandet, conferri alicui dignitatem in ecclesia, ita ut ea qualitas sit determinans beneficii conferendi: Aut si mandetur alicui conferri beneficium curatum, ita ut cura sit qualitas determinans beneficii: non poterit vi huius rescripti conferri officium, aut beneficium simplex, prout ex supra dictis constat.

His explicatis, restat, ut ad quæst. respondeam, in qua interpretes hic laborant. Cum enim in casu huius c. persona, contra quam rescriptum impetratum erat, nota esset, error accidentarius circa dioccesin non debebat obesse rescripto. Respondent Abb. hic n. 4. Henric. Boich n. 3. & alij, non posse opponi contra eiusmodi rescriptum, propter expressionem alterius diocesis; sed propter distantiam itineris, si ponamus, Iudicem, ad quem reus tractus fuit, ultra duas dietas, & iure nouo ultra vnam distare.

Veruntamen retentâ explicatione huius c. quam in not. vn. proposui, aliter dicendum; In hoc ipso casu, si quis Iudicem ultra duas, aut iure nouo, ultra vnam dietam à diocesi sua impetrarit, obreptitiæ, seu falso asserens se ex alia diocesi esse, errorem hunc esse intrinsecum rescripto siue delegationi ad hunc Iudicem directæ; & causam principalem siue finalem eius; quia si Papa veritatem cognouisset, huic Iudici nequaquam delegasset; aut saltem non tali modo, ac formâ, sed cum clausula derogatoria dietarum &c. Ideoque contra rescriptum istud tanquam obreptitium, ratione falso nominatæ diocesis, rectè excipitur, prout in hoc c. manifestè indicatur.

CAPITVLVM XXXV. Rodulphus.

PARAPHRASIS.

Remigius literas impetrauit contra Episcopum

pum Sagiensem, & quosdam alios Sagien. diœcesis, super controuersis de rebus & aliis rebus. Iudices delegati vigore huius rescripti citarunt Valentinum Rectorem ecclesiæ S. Christophori in ciuitate Sagien. quocum controuersia Remigio erat, fortasse de iure decimarum. Sed Valentinus excipiendo proposuit, quod vi huius rescripti Apostolici conueniri non possit, cum ipse de ciuitate sit Sagien. clausula autem illa, *Ex quosdam alios de diœcesi Sagien.*, non comprehendat existentes in ciuitate, sed extra ciuitatem. Cum autem iudices exceptionem hanc admittere nollent, Valentinus ad Papam Gregorium XI. appellauit, qui postea rescripsit, exceptionem iustam fuisse, id est, que irrita esse declaranda, quæ à iudicibus illis contra Valentinum acta vel decreta fuerunt.

SYMMARIUM.

1. Per rescriptum impetratum contra homines diœcesis, non intelliguntur, nec conueniri possunt homines ciuitatis, quæ est caput diœcesis.
2. In materia odiosa uocabulum accipi debet strictè, modo fraudis aut elusio statuti, vel dispositionis sequi non possit; in materia fauorabili, amplè. & hoc etiam in materia indifferente, si ampla acceptio magis uocabulo propria, & usitata est.
3. In materia odiosa nomine ciuitatis tantum comprehenduntur, quæ murorum ambitu continentur, in fauorabili, adiacentia suburbia, & pagi ad ciuitatem pertinentes.
4. In fauorabilibus nomine territorij, diœcesis, aut diœcesanorum, intelliguntur etiam loca & persone intra territorium, aut diœcesim exempta.
5. Prorogatio iurisdictionis delegata partium consensu fieri non potest de persona ad personam, potest tamen de re ad rem.

NOTANDUM Vn. Per rescriptum impetratum contra homines diœcesis, non

possunt conueniri homines ciuitatis, quæ est caput diœcesis. Ita omnes hinc.

Pro intellectu autem, ac defensione huius c. aduertendum est, Non raro accidere, ut uocabulum vnâ, & non inusitatâ, vel etiam propria significatione, accipiatur latè, aliâ uerò, etiam inusitata significatione, capiatur strictè, specificè, aut partialiter. Tum uerò si non appareat, quænam fuerit mens statuentis aut disponentis, adeoque in dubio, utra earum acceptionum præferenda sit, hæc regula tradi debet: Quòd in materia odiosa, uocabulum accipi debet, secundum strictam significationem; dummodò fraudis, aut elusio statuti, vel dispositionis sequi non possit. At uerò in materia fauorabili, uocabulum accipi debet secundum amplam eius significationem. Imò etiam in materia indifferente, si ampla ea acceptio magis uocabulo propria, magisue usitata sit. Ita docent hinc Imola, Abb. Felin. & alij.

Nunc afferemus exemplum doctrinæ: Primum est in c. si sententia 26. de sent. excomm. in 6. ubi habetur, quòd interdicto populo, si aliud expressum non sit, non censetur interdictus clerus. Ratio est: Quia populus sæpe ita accipitur, ut à clero distinguatur; quare cum materia interdicti pœnalis, idè, que odiosa sit, uocabulum *populus* in dubio, iuxta strictiorem hanc significationem accipi debet. At uerò in materia fauorabili, ut si priuilegium seu gratia aliqua concedatur populo Augustano, etiam Clericiac Religiosi incolæ comprehenduntur, argum. §. Plebs autem, Instit. de iure natur. gent. & ciuili, ubi dicitur, quòd appellatione populi vniuersi ciues significantur, connumeratis etiam patriis & senatoribus. Videri potest Syl. ver. clericus 1. q. 2. Angel. eod. ver. 1. n. 2. & quæ hinc Felin. congesit n. 18. Simili ratione docui in Theol. moral. lib. 1. tract. 5. p. 4. c. 4. n. 3. Quòd in materia odiosa nomine clericorum non uenit Episcopus, neque Religiosi: At uerò in materia fauorabili comprehenduntur, cum uerè clerici sint.

Alterum. Nomine ciuitatis in materia odiosa, ea tantum continentur, quæ murorum ambitu inclusa sunt; non item adiacentia sub-

S

urbia

urbia, & pagi ad ciuitatem pertinentes, vti colligitur ex c. si ciuitas 17. de sent. excomm. in 6. & docet Abb. hinc n. 4. Felin. n. 1. Excipi tamen debet, vt supra, I. Nisi aliud appareat ex verbis dispositionis. II. Nisi fraus aut illusio statuti, aut dispositionis sequi possit: tunc enim, vt ait Pontifex in cit. c. si ciuitas, expedit etiam in odiosa materia, ampliorem interpretationem fieri; videl. si ciuitas interdicta sit, vt etiam adiacentia suburbia comprehensa intelligantur, quia alioquin clerici celebrandi causa passim ad suburbia se conferrent.

At verò in materiâ fauorabili nomine ciuitatis, aut vrbs veniunt etiam loca adiacentia, vt colligitur ex l. 1. ff. de offic. Præfetti vrbs, & l. ædificia 139. ff. de verb. signif. Veruntamen interdum ex circumstantiis appareret, quòd v. g. testator ciuitatem expresserit, vt à locis adiacentibus distingueret: e. c. *Legō Sempronio frumentum omne, quod in ciuitate habeo.* non videtur tunc legasse frumentum, quod extra ciuitatem est in horreis; præterquam, si inibi ad tempus tantum fuisset, vt postea ad ciuitatem transferretur. At verò si testator frumentum leget, quod Romæ habet, videri potest intellexisse etiam de frumento, quod in suburbij horreis asseruatur, prout Baldus hinc docet n. 8. Felin. n. 3.

Huc etiam spectat, quòd natus in vico, vel castro vicino ciuitati, pertinente ad eius iurisdictionem, è ciuitate oriundus dicatur, l. Qui ex vico 30. ff. Ad Municipalem. l. Qui in continentibus 147. ff. de verb. signif. & notauit Bartol. in l. 1. n. 2. ff. Ad Municipalem.

4 Tertium. In fauorabilibus nomine territorij, diœcesis, aut diœcesanorum comprehenduntur etiam loca & personæ intra territorium aut diœcesin exemptæ, non item in odiosis, vel onerosis, prout ex Paulo Castrensi consil. 132. refert & commendat Felin. hinc cit. n. 18.

Quartum exemplum habemus in c. isto. Nam licet nomen diœcesis frequenter, & quidem non improprie ita accipiatur, vt etiam ciuitatem comprehendat, in qua ecclesia Cathedralis est, vti colligitur ex c. 1. de

off. Ordinarij, & c. vn. iun. Gl. ver. diœcesis, de rerum permut. in 6. Interdum tamè strictius accipitur, pro reliquo territorio ad spiritualem Episcopi iurisdictionem pertinente, præter ciuitatem sedis & ecclesiæ Cathedralis, vti colligitur ex c. quamuis 4. de præbend. in 6. Quamobrem hæc acceptio diœcesis in scriptis ad lites, quippe quæ odiosa sunt, idèque strictæ interpretationis esse debent, c. nonnulli 28. §. sunt & alij, hoc tit. præferenda est; nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.

Nihilominus decisionem huius c. Petr. Greg. Tholos. hinc & alij apud Abb. n. 3. tanquam minus iuridicam impugnat. Eò quòd ciuitas, in qua est ecclesia cathedralis, sit caput diœcesis: ideo comprehendi debeat in diœcesi. Respondeo; Si dicere velint, ciuitatem cathedralem reipsa contineri in diœcesi, sicuti caput in corpore, nemo id negat: Sin autem velint, nomen diœcesis nunquam vsurpari pro reliquis eius partibus, præter ciuitatem cathedralem seu episcopalem, negari debet; Cùm inusitatum non sit, vnam speciem aut partem præcipuam ita vsurpari, vt in communi nomine siue appellatione non veniat, prout videre est apud Canonistas super rubr. tit. de cognat. legali. Atque ita etiam caput non infrequenter accipi solet, vt à corpore reliquo distinguatur. Nonne etiam Episcopus est præcipuus clericorum, & tamen nomine clerici, aut clericorum in materia odiosa comprehendi non solet? Item Cathedralis ecclesia est caput ecclesiarum reliquarum diœcesis, & tamen expressè respondit Bonifac. VIII. in supra cit. c. quamuis; Si Papa mandet alicui beneficium prouideri in aliqua ecclesia ciuitatis aut diœcesis, mandatum istud ad ecclesiam cathedralem extendi non posse: Quia propter specialem eius honorem, sub ea verborum generalitate, in materia strictæ interpretationis, non censetur inclusa. Ex quo simili ratione inferunt Ioan. Andr. & Abb. hinc n. 5. cum Gl. in c. accepimus 13. ver. in maiori ecclesia, de æt. & qualit. Si Papa mandauerit alicui beneficium conferri in diœcesi, non posse ipsi conferri in ciuitate episcopali: quia in materia stricta, qualis hæc est cit-

est circa beneficia rescripta, nomine diocesis non venit ciuitas episcopalis, seu cathedralis.

QVÆSTIO hinc moueri solet circa Glos. fin. huius c. Si Papa secundum formam huius c. Iudices deleget, ad cognoscendam causam, quæ est contra Episcopum & quosdam de diocesi; atque aliquis ex ciuitate cathedrali, vi huius rescripti conueniatur, qui nihil excipiens in iudices consentiat, vtrum processus valeat. Glossa hinc rectè negat. Nam priuatorum consensu dari non potest iurisdictioni ei, qui nullam habet, l. 3. C. de iurisdictione. Atqui delegatus Iudex non habet iurisdictionem, nisi secundum dependentiam à voluntate delegantis, seu mandantis. Cum itaque super personis in ciuitate non sit iurisdictione mandata, non potest eam partium consensu acquirere, prout expressè decidit in c. P. & G. 40. de off. deleg.

Existimant tamen Ioan. Andr. hinc n. 13. Abb. n. 10. Imola in fine c. non improbabili- ter, contra Gl. final. hinc; Si in iudice delegato erga personam adsit fundamentum iurisdictionis, posse rescripti extensionem fieri ad res sub eo non comprehensas, si partes expressè vel tacitè consentiant: c. c. Si Ecclesiæ Præpositus contra Decanum impetret rescriptum ad Iudices super pannis & quibusdam aliis rebus; posse Iudices delegatos maiorem etiam causam, quam sit ea de pannis, proponente Præposito, cognoscere, si Decanus non excipiat, ex c. sedes 15. hoc tit. Ideoque aiunt, licet prorogatio iurisdictionis delegatæ, partium consensu fieri non possit de persona ad personam, fieri tamen posse de re ad rem.

CAPITVLVM XXXVI.

Significauit.

PARAPHRASIS.

Gaspar & Bonifacius literas à Pontifice impetrarunt aduersus Episcopum Tullensem, & quosdam alios clericos: vigore harum literarum iudices citarunt Comitissam Namutensem, eò quòd frater eius,

cui in Comitatu successerat, pecunias mutuas acceperat à Gaspare & Bonifacio. Sed Comitissæ procurator exceptionem opposuit, eum frater illius tempore impetratarum literarum in viuis fuerit, & in iudicium non vocatus, ipsam conueniri amplius non posse vigore eius rescripti. Sed Iudices hanc exceptionem admittere noluerunt: quare ipsa appellauit ad Sedem Apostolicam. Vnde Resp. Gregor. IX. Abbati S. Iacobi, vt si res ita se habeat, acta omnia contra Comitissam irrita esse pronunciet.

SUMMARIVM.

1. Si per clausulam rescripti conueniendus moriatur ante litem contestatam, hæres eius conueniri non potest.
2. Prælatus successor per eiusmodi clausulam conueniri potest, et si rescriptum impetratum sit viuentis Antecessore.

NOTANDVM VII. Si vi rescripti, seu factæ delegationis per clausulam generalem, & quosdam alios, conueniendus, ante cceptam litem moriatur, hæres eius conueniri non potest. Ita Gl. & alij communiter hinc.

Ratio huius decisionis est ista: Hæres ad eundo hæreditatem non suscipit obligationes pastorales, quas defunctus ante mortem contraxit. Atqui frater huius Comitissæ ante mortem ex Papali rescripto obligationem nullam suscepit: Ergo Comitissa, ratione hæreditatis aditæ, siue vt hæres, loco fratris defuncti conueniri non poterat vigore eius rescripti. Maior est certa; Minor declaranda. Siquidem per clausulam eam generalem, & quosdam alios, optio datur impetranti, quosnam conuenire velit: Itaque priusquam voluntatem suam declarauerit, litem mouendo personæ particulari, vid. Comiti, nullam is ex rescripto Pontificio obligationem contraxit, argum. c. pastoralis 14. in fine, hoc tit.

Exinde colligitur primò, quòd aliter dicendum, si in Papali rescripto nominatus fuisset Comes: tunc enim rescriptum respectum habuisset ad eum particularem hominem,

nem, in cuius demortui locum hæres succedit, cum iuris fictione hæres eadem persona cum defuncto intelligatur, Authent. de iur. iurando à moriente præstito, coll. 5. & cum Glof. communiter hinc docent interpretes.

Secundò, quòd aliter dicendum, si Comes ab aduersario vigore rescripti, ante mortem suam in iudicium vocatus sit: tunc lite cum ecepta per citationem, obligatio ex rescripto transisset ad hæredem eius Comitissam, sicuti ex hoc ipso c. colligitur per sensum contrarium, & docet Gl. recepta ver. viueret.

Tertiò, quòd aliter dicendum, si debitum ex mutuo incubuisset Comiti non obligatione personali, sed ratione rei, siue quatenus erat possessor Comitatus: tunc enim Comitissa, ad quam Comitatus deuolutus, vigore eius rescripti cum clausula generali, conueniri posset, uti eadem Gl. annotauit, & constat ex c. dilecti 17. de foro comp. ex quo habetur, quòd Prælatus successor per eiusmodi generalem clausulam conueniri possit, tametsi rescriptum impetratum sit, dum antecessor viueret: quandoquidem Prælatus per se non conuenitur, sed ratione ecclesiæ aut dignitatis, quæ non extinguitur, sed ab vno Prælato ad alterum transit, argum. c. quoniam Abbas 14. de off. deleg. Atque ita docet Ioan. Andr. hic n. 12. Abb. n. 4. Quare etiam vice versa, si Prælatus nomine ecclesiæ suæ literas à Papa impetrauit, eo mortuo, successor quoque illis uti poterit.

CAPITVLVM XXXVII.

Ex insinuatione.

PARAPHRASIS ET SVMMÆ.

Litteræ exemptoriæ valent, tametsi monitoriæ non præcesserint: præterquam si in exemptoriis mentio fiat de monitoriis: tunc enim obreptitiæ illæ erunt, quippe per falsi oppressionem impetratæ.

Vide quæ suprâ dicta sunt in c. Capitulum S. Crucis 3. o. hoc tit.

CAPITVLVM XXXVIII.

Mandatum.

PARAPHRASIS ET SVMMÆ.

Si duo ad eandem ecclesiam à Sede Apostolica mandatum adferant, de prouidendo ipsi canonicari, & in posterioribus litteris clausula contineatur, si pro alio non scripsimus, gratiam hanc exequaris; hoc casu non debet prouideri posteriori, si illi qui prius impetrauit, prouisum fuerit: quia non est intentio Papæ, collatorem ordinarium grauare super receptione, seu institutione duorum, nisi id exprimatur.

SED quænam fuit ratio dubitandi, cum in secundo mandato expressè posita fuerit conditio, si pro alio non scripsimus, qui gratiam prosequatur? Respondet bene Gl. Ideo dubitatum fuisse, quia conditio posita fuit de præsentate: Nemo autem tum prosequeretur, seu beneficium petebat, sed prior, pro quo scriptum fuerat, beneficium iam obtinebat. Nihilominus decernit Greg. IX. Papa; posterius mandatum reijci posse; quia si vni impetranti prouisum sit beneficium, satisfactum est intentioni Papæ; cum is nolit ecclesiam super receptione duorum grauare, prout etiam colligitur ex c. penult. eod. tit. in 6.

NOTANDVM I. Si Papa mandet alicui canonicatum in ecclesia prouideri, necesse non est de præbenda mentionem fieri. Quia præbenda debetur Canonico; adeoque est quid consequens ad canonicatum, iuxta c. Si clericus 11. & c. si postquam 14. de præb. in 6. Qui autem vult antea cadens, vult etiam consequens, & qui mandat principale, mandare etiam censetur accessorium. Ita Abb. hic n. r. & in c. dilectus n. 6. de præb.

NOTANDVM II. Collator ordinarius per mandata Apostolica Sedis super beneficiorum prouisione, censetur grauari. Quia beneficij collatio, cum sit gratia & donatio quædam, pertinet ad exercendam liberalitatem Prælati: præsertim erga eos, qui

quibus bene obligatus est, uti notat hęc Abbas antiquus. Quamobrem beneficiorum collatio censetur veluti fructus ecclesiasticę dignitatis ac potestatis. Videri possunt, quę scripsit Azor tom. 2. lib. 6. c. 32. & quę docui in Theol. moral. lib. 4. tr. 2. cap. 10. & 11.

CAPITVLVM XXXIX.

Literis.

PARAPHRASIS.

Si Papa v.g. Gregor. IX. pro Guilielmo clerico scripserit, ut in canonicum recipe- retur, nisi ecclesia antę a se grauata fuis- set simili mandato; hoc casu Guilielmus institui debet ad canonicatum vacaturum, non obstante, quod idem Papa ad eundem collatorem prius literas executo- rias dedit pro alio clerico, qui ab an- tecessore Pontifice monitorias literas im- petrarat. Neque enim obstat, quod Pon- tificex, nisi exprimat, eundem collatorem duobus mandatis grauare non soleat, quia hoc casu Gregorius IX. posterioris tantum mandati auctor est; prius autem ab antecessore Honorio III. originem ac- cepit: quod vt executioni mandetur, ad successoris officium pertinet curare.

SUMMARIVM.

1. Si successor exequatur opus ceptum ab Antecessore, tribuitur id magis Antecessori.
2. Graua expectatiua, seu mandata de pro- uidendo, omnino per Concil. Tridenti- num sublata sunt.

NOTANDVM Vn. Si successor exequatur opus ceptum ab antecessore, tri- buitur id magis antecessori: quia primor- dia cuiusque rei spectari debent.

Sed temporis successu in Roman. Curia eöfuetudo introducta fuit, vt Pontifex Rom. mox post promotionem suam, omnes ante- cessorum gratias expectatiuas seu de prouidendis beneficijs, quę executioni mandatae

non fuerunt, ita vt ius in ijs quęsitum, re- uocaret, prout videre est in e. si is, 39. c. quondam 40. de præb. in 6. & c. vlt. de con- cess. præb. eod. libr. Propterea quod gratiæ expectatiuę ecclesijs grauamen inferant; promissionem item, ac veluti pactionem de futura successione contineant, cuiusmodi pactione indecens censetur, c. 2. & 3. de con- cess. præb. cap. 2. eod. tit. in 6. Quamobrem Concil. Trident. sess. 24. c. 19. gratias expe- ctatiuas, seu mandata de prouidendo omnino sublata esse voluit; prout etiam supra dixi.

CAPITVLVM XL.

Abbatem.

PARAPHRASIS.

Pontifex scripsit pro Sebastiano clerico ad Abbatem S. Proculi, vt illi in aliqua ec- clesiarum sui Monasterij beneficium prouideret: postea alias literas idem Ponti- fex dedit ad diocesanum Episcopum, quibus mandauit, vt in Diocesi sua, si pro alio scriptum non esset, faceret prouideri clerico Vdalrico. Hunc Episcopus ius- sit institui in ecclesia ad Monasterium Abbatis pertinente; sed Abbas coneradi- xit, quia ipse antea spirituale mandatum acceperat, vt Sebastiano prouideret. In hoc casu Respondet Gregor. IX. excep- tionem Abbatis iustam esse; cum Ponti- fex non soleat eundem collatorem pluri- bus eiusmodi mandatis grauare.

SUMMARIVM.

1. Mandatum generale non derogat spe- ciali, præsertim prius impetrato.
2. Collatio beneficiorum ordinario iure pertinet ad Episcopum; speciali tamen consuetudinis siue privilegij aliquando ad inferiorem, v.g. Abbatem, Capitulum, &c.

NOTANDVM I. Mandatum generale non derogat mandato speciali, præser- tim prius impetrato. Ita sumitur ex hoc c. iun.

in. Gl. ver. per literas generales, & dixi de hoc in c. 1. hoc tit.

2. NOTANDVM II. Licet collatio beneficiorum diœcesis ad Episcopum iure ordinario pertineat, c. cum ex iniuncto 12. in fine de hæret. iure tamen speciali, siue consuetudinis, siue priuilegij, quandoque inferiori competit, v. g. Abbati, aut Capitulo, prout videre etiam est in c. cum aliquibus 4 hoc tit. in 6.

NOTANDVM III. Pontifex non tam ad ecclesiam attendit, ne vna pluribus grafijs expectatiuis grauetur: quam ad collatorem, ne vni plura talia mandata imponantur, prout Ioann. Andr. & Abb. hic annotarunt, & confirmari potest ex c. præsentis 3. de off. legati in 6.

CAPITVLVM XLI.

Ab excommunicato.

PARAPHRASIS.

Prælati quidam subditum excommunicauit, non seruata formâ Concilij Laterani. in c. sacro, de sentent. excommunicat. vbi requiritur, vt antecedit monitio canonica, causa rationabilis, & manifesta. Excommunicatus querelam detulit ad Pontificem: is rescribit, ac mandat Excommunicatori, vt hominem non motâ difficultate absoluat. Sin autem parere recuset, deputantur alij iudices, qui mandatû Apostolicum exequantur, & absolutionem impertiant. Verum in rescripto Pontificis addita fuit clausula (*si ista est*) de qua dubitatur, an referatur ad excommunicatorem, quasi is cognoscere debeat, num excommunicatio legitimè, necne inflicta fuerit; an verò talis cognitio ad iudices delegatos pertineat: & hoc posterius affirmat Gregorius IX. additâ ratione, quia cum excommunicator de proprio facto certus sit, frustra ipsi cognitio causæ committeretur.

SVMMARIVM.

1. Rescriptum directum ad Excommunica-

toem, vt absoluat excommunicatum de iniusta excommunicatione querentem, illo nolente absoluere, delegatis iudicibus. causâ ab ijs cognitâ, absolutionem mandat.

2. Ignorantia facti proprij ordinariè non præsumitur, sed alieni.

NOTANDVM I. Si excommunicatus ad excommunicatoris Superiorem de iniusta excommunicatione querelam deferat, Superior remittit eum pro absolutione ad excommunicatorem; delegatis iudicibus, qui nolente illo absoluere, causâ cognitâ, absolutionem conferant: Excepto, si periculum in mora sit: vel si excommunicatio notoriè iniusta sit: Tum ipsemet Superior hominem statim absoluat; vel declarabit nunquam ligatum fuisse, si excommunicatio non tantum iniusta, sed etiam inuvalida fuerat, iuxta ea quæ dixi in Th. moral. lib. 1. tr. 5. p. 1. cap. 6. Videri potest c. ad reprimendam 8. & quæ ibi dicuntur, de offic. Ordinarij, Abb. hic n. 12. & seqq.

NOTANDVM II. Ignorantia facti proprij ordinariè non præsumitur, sed alieni. Ita sumitur ex text. c. in fine. Et est hæc limitatio quædam reg. 47. in 6. prout etiam dixi in c. 2. de Constitut. & videri potest Gaill. lib. 2. obs. 48. n. 21.

CAPITVLVM XLII.

Si proponente.

PARAPHRASIS.

Aliquis modicum beneficium obtinens, ex quo sufficienter sustentari non poterat, & proponens Pontifici, se nullum beneficium habere, impetrauit rescriptum de prouisione faciendâ. Tale rescriptum subreptitium & irritum est.

SVMMARIVM.

1. Rescriptum ad beneficium, & eiusdem collatio à Papa impetrata, non factâ

mentione beneficij habiti, quantumuis modici subreptitia & irrita est.

NOTANDVM Vn. Non tantum beneficij collatio à Papa impetrata, non facta mentione beneficij habiti, quantumuis modici, obreptitia & irrita est, c. si motu 23. de præbend. in 6. sed etiam gratia & rescriptum ad beneficium obtinendum. Tametsi verò casus c. huius propositus sit in suggestione falsi; idem tamen sentiendum de suppressione veri, prout Gl. sentit in princ. huius c. Saltem ita dicendum, spectato hodierno iure, & consuetudine seu stylo Curia, qui ius facit, c. quàm graui, 6. de crimine falsi, & annotauit Inola hic n. 3. Intelligi autem debet de omni beneficio propriè dicto, siue quod in titulum datur perpetuum, siue temporalem, prout notauit Felinus c. in nostra n. 18. hoc tit.

Obijci potest: Error siue ignorantia beneficij modici, non sufficientis ad sustentationem, non est causa gratia aut rescripti de altero beneficio; quia etsi sciuisset Papa, beneficium contulisset, aut conferri mandasset: Ergo non debet dici gratia aut rescriptum obreptitum. Confirmatur: Cùm modica æstimari non soleant, ideo beneficium modicum siue exiguum quasi non beneficium est. Resp. ad obiectionem, neg. consequent. Quia si stylus Curia expressionem alicuius rei in rescriptis exigat, censetur pertinere ad formam eorum; & ideo non attenditur, num taciturnitas eius rei fuerit causa concessionis, necne, prout dixi in c. super literis 20. hoc tit. Ad Confirmat. dico; Nullum beneficium ita modicum, aut non æstimabile esse eo respectu, ut nulla ipsius in alterius à Sede Apostolica impetratione ratio habenda sit: Idq; propter cauendas deceptiones, aliàque incommoda salubriter statutum. Videatur Azor tom. 2. Instit. lib. 6. c. 10. q. 3.

CAPITVLVM VI.

Quia nonnulli.

PARAPHRASIS.

Aliqui rescriptis Apostolicis ad lites varijs

modis abutebantur. Vel enim nomine suo literas impetrans alteri, cui idem erat nomen, tradidit, & is, qui ita accepit, quoslibet indebitè fatigauit: Vel impetrauit aliquis literas contra eas personas, quibuscum nil ipsi controuersia erat: Vel literas impetratas ad controuersiam decidendam traxit, quæ tempore impetrationis orta non fuit: Vel ad diuersos iudices varia super vno negotio rescripta impetrauit: Vel etiam super pluribus negotijs seu personalibus actionibus, quæ commodius coram vno iudice expediri possent, idq; fatigandi aduersarij causâ, ut litem componi patiatur, aut iure suo cedat: Vel denique reus reconuenire volens actorem suum, literas & ipse aduersus actorem impetrauit ad iudices diuersos, aut ut compareat in villa, v. g. Tusculanâ, cùm plures eiusdem nominis villæ essent, ut si non comparuisset, tanquam contumax excommunicaretur, & ita ab actione repelleretur. Hi omnes, & singuli, vno ex dictis modis rescripto Apostolico abutentes, eius commodo carere, & aduersario ad expensas, & damna condemnari debent.

SVM MARI VM.

1. *Rescripta iustitia sunt iura personalia: ideo alteri non possunt cedi, nec transferuntur ad successorem aut heredem, nisi fuerint impetrata nomine dignitatis, vel beneficij.*
2. *Rescriptum ad lites cum clausula. Et quibusdam alijs causis, non extendit se ad causas, quæ post impetrationem exorta sunt; Rescriptum ad beneficium vacaturum non ad ea, quæ post datam literarum de nouo instituta sunt.*
3. *Nemo super vno eodemque negotio ad diuersos iudices trahi debet.*
4. *Qui aduersarium indebitè fatigat, expensas compensare cogitur à Iudice in eâ causâ delegato.*
5. *Sed tum demum ad eas condemnare hic iudex debet, si aduersarius petat.*

Iudex

Iudex non tenetur interponere officium suum, nisi parte petente, si agatur de utilitate priuata, exceptis causis miserabilium personarum, aut que ad pietatem & misericordiam spectant.

6. *Qui alteri eiusdem nominis Apostolicas literas vendens tradit, committit crimen falsi, & criminaliter puniri potest; qui autem rescripto alieno utitur, ut reus criminis Szeilionathis puniendus est.*

NOTANDVM I. Rescripta iustitiæ sunt iura personalia, id est, eis tantum personis uelita, quibus concessa sunt; & ideo non possunt alteri cedi; nec transeunt ad successorem, aut hæredem; nisi fuerint impetrata nomine dignitatis, aut beneficij, prout dixi in c. significauit 36, hoc t. Et ita notauit hic Ioann. Andr. n. 9. Abb. not. 2. & n. 9. ubi bene admonet, Litteram esse rescriptum, si tempore *date* mortua sit persona, cui impetratum (idemque est in privilegio, l. Neratius 152. ff. de regulis iuris) vel contra quam impetratum, l. 2. ff. de sententijs, quæ sine appell. rescinduntur.

NOTANDVM II. Rescriptum ad lites impetratum, cum clausula *Et quibusdam alij causis*, non extendit se ad causas, quæ post impetrationem exortæ sunt. Simili modo legimus in Clem. vlt. eod. tit. Quod rescriptum impetratum ad beneficium in ecclesia aliqua vacaturum, non extenditur ad ea beneficia, quæ post *datam* litterarum de nouo instituta sunt. Ratio dari debet, quod hæc rescripta strictæ interpretationis sint, partim quod non deceat in his præsertim materijs, dispositionem facere de ijs, aut circa ea, quæ nondum sunt. Sed & generalis regula tradi solet, quod in simplici quantumuis generali dispositione, nisi aliud exprimitur, præsentia, non quæ necdum orta sunt, comprehendi solent, l. si ita scripsisset 47. ff. de Legat. 2. & uideri potest Zasius in l. Si quis iniquum, §. Quod autem, ff. Quod quisque iuris &c.

Corollarium; Etiam ex hoc capite apparet, in rescriptis iustitiæ, ac beneficialibus

attendendum esse tempus *date* litterarum.

NOTANDVM III. Nemo super vno eodemque negotio ad diuersos iudices trahi debet: Idque duas ob causas: I. Ne continentia, seu connexio causæ diuidatur, l. Nulli 10. C. de Iudicijs, & l. i. iuncta Gl. verbo eundem iudicem, C. de quibus rebus ad eund. iudicem eatur, ubi dicitur, quod in causis connexis plures, quamuis diuersi fori, coram vno iudice litigare debent. Ea propter Gaill. obseruat lib. 1. obs. 32. n. iurisdictionem Camera Imperialis ratione continentia tum causarum, tum personarum (si uidel. vnus consortium litis immediatè Cæsari subiectus sit) fundari posse; vt omissio medio iudice, ad superiorem, uidel. Cæsareum tribunal, ueniendum sit. II. Vt tempori, & sumptibus parcatur, & litibus modus statuatur, prout hic insinuat. Tametsi enim serino duntaxat sit de iudicijs delegatis, tamen etiam ad Ordinarios, propter identitatem rationis in canone expressæ, extendi posse tradit hic Gl. ver. lites, in fine, Abb. n. 13. Quid porro sentiendum, si quis alterum in diuersis causis ad diuersos iudices trahat, dicitur in c. 3. eod. in 6.

NOTANDVM IV. Qui aduersarium indebitè fatigando, causam ei præbuit expensarum, alteriusue damni, id ei compensare cogitur. Sed à quo iudice ad hoc condemnandus est? Rectè respondet Gl. hic ver. expensis ac damnis, Quod à Iudice in ea causa delegato. Quia licet literæ ad eum impetratæ infirmæ sint, propter fraudem impetrantis, ne ex malitia sua commodum reportet, adcoque Iudex super causâ principali iurisdictionem per eas non acquirat; nihilominus tamen iurisdictionem acquirat super quæstionibus incidentibus; vt uidel. cognoscat, num rescriptum propter malitiam impetrantis, infirmum sit, & impetrans ad præstandas expensas condemnari debeat. Ratio huius rei est: Quia ad hæc incidentia cognoscenda fundata est per rescriptum iurisdictione delegati: Quare sicuti ordinarius Iudex cognoscere potest, num sua sit iurisdictione; & si pronunciet non esse, actorem

rem ad expensas condemnare, ita & hic accidit, prout Abb. declarat n. 14.

5. Perro ead. Gl. ver. expensis, admonet, & Abb. n. 15. Iudicem tum demum partem ad expensas condemnare debere, si aduersarius petat. Qua de re Bartol. in l. diem 5. Hoc autem iudicium, ff. de damno infecto, regulam tradit; Quod Iudex non tenetur interponere officium suum, nisi parte petente, si agatur de utilitate priuata, exceptis causis personarum miserabilium, aut quæ ad pietatem, aut misericordiam spectare videntur.

6. His addendum, quod Innoc. hic notat, Ioan. Andr. n. 4. Abb. n. 18. Si quis literas Apostolicas alteri, qui eiusdem nominis, ad vendendum tradat, committere falsi crimen, ita ut criminaliter puniri possit, prout colligitur ex l. falsi nominis 13. l. Qui falsam 19. ff. Ad L. Cornel. de falso: Is autem qui rescripto alieno vitur, ut reus criminis stellionatus puniri debet, ut colligitur ex l. 3. ff. de crimine stellionatus. Est autem stellio lacerti genus versutissimum, à quo stellionatum dicimus quamlibet imposturam, seu callidam circumuentionem, si proprio nomine careat.

CAPITVLVM I. cod. Tit. in 6.

Ipsò iure.

PARAPHRASIS.

1. Rescriptum ab excommunicato impetratum, atque processus ex eo rescripto institutus, ipso iure irrita sunt; præterquam si impetratum sit in causa ipsius excommunicationis, aut appellationis articulo.

SVMMARIVM.

1. Rescriptum impetratum ab excommunicato, & processus ex illo securus, sunt ipso iure irrita, nisi in causa ipsius excommunicationis, vel appellationis.
2. Excommunicatio facit hominem inhabilem ad impetrandum rescriptum, siue sit iustitiae, siue gratiæ, aut priuilegij, cum restrictione tamen n. 1. asserta.
3. Processus iudicis delegati vigore rescripti

ipso iure irriti, irritus quoque, censeri debet.

4. Decisio huius c. locum habet in rescriptis Papa, non aliorum Ordinariorum; ut nec in rescriptis Principum secularium.

5. Valet tamen eadem decisio etiam, si excommunicatio est occulta; quamuis propter publicam & probabilem ignorantiam excommunicationis fieri queat, ut actu à iudice delegato vigore rescripti valida sint.

NOTANDVM I. Excommunicatio facit hominem inhabilem ad impetrandum rescriptum: Quæ causa est, quod rescriptum ipso iure statim irritum sit, ob incapacitatem recipientis seu impetrantis.

Ampliari debet hæc doctrina, quod locum habeat in omni impetrato rescripto, siue iustitiæ, etiam in causa spoliationis, alteriusve possessorij interdicti, sicuti hic Francus notauit n. 11. siue gratiæ, aut priuilegij, prout rectè docuit idem Francus n. 3. in princ. Suarez de cens. disp. 13. sect. 1. n. 12. post Gl. hic ver. alio, quod nullæ literæ impetratæ ab excommunicato valent, præter eas, quæ in textu exceptæ sunt: Potestque inde etiam confirmari; quia rescripta gratiæ facilius irrita redduntur, quàm rescripta ad lites.

Restringi autem debet, sicuti in textu, Primò, quod excommunicatus super causa excommunicationis suæ, si eam à iudice suo inflictam, iniustam aut inuolidam esse contendat, rescriptum à Papa ad iudicem delegatum impetrare possit, ne videl. ei desit remedium defensionis, ut Gl. magna hic annotauit: Et Anton. de Butrio hic not. 4. Licet aliquis prohibeatur agere ob certam causam inhabilitatis aut impedimenti, non tamen prohibetur agere inficiendo inhabilitatem; dicendo v. g. se non esse legitime excommunicatum, se non esse amentem; & super eo rescriptum impetrare. Secundò, quod excommunicatus si à sententia Iudicis appellauit, super articulo appellationis rescriptum Papale impetrare queat. Ratio est: Quia excommunicatus in iudicio stare potest, saltem

T

ut reus

vt reus, c. intelleximus 7. de Iudiciis; consequenter & appellare, si à Iudice iniustitiam pati videatur; cum id ad defensionem propriam pertineat, quæ nemini negari debet, vti hic Anton. notat n. 6. dans regulam, quod si alicui concessum sit stare in iudicio, etiam alia concessa ei ceteri debent, quæ ad ius suum obtinendum necessaria sunt, arg. c. præterea 5. de off. delegati, & l. 2. ff. de iurisdic. omni. Iudicium. Et Philippus Francus consequenter infert hic n. 12. Quod excommunicatus, si non audiatur super exceptionibus suis, & vniuersim loquendo, super articulis causæ pendentes coram Ordinario, impetrare possit rescriptum delegationis.

3 NOTANDUM II. Processus Iudicis delegati factus vigore rescripti, ipso iure irriti, irritus quoque ceteri debet. Ratio est: Quia delegatus vi eius rescripti non acquirit iurisdictionem; saltem quoad processum in causa principali: vbi autem deest fundamentum iurisdictionis, nihil agi potest iudicialiter. Veruntamen cum in casu isto non desit potestas in delegante, ideo delegatus ex vi rescripti ad hoc fundatus est, vt cognoscere possit, num sua sit iurisdic. siue num verè excommunicatus fuerit impetrans, necne, prout etiam supra dixi in c. ex parte 3. not. 3. hoc tit. in antiq.

QVÆSTIO prima; Quænam causa sit, quod excommunicatus stare possit in iudicio vt actor, si nec à reo per exceptionem, nec à iudice ex officio repellatur, c. 1. de except. in 6. & tamen rescriptum ad lites validè impetrare non possit? Varia respondet Gl. hic ver. processus: Arbitror responderi posse: Quod rescriptum iustitiæ, seu commissio causæ, latè loquendo, sit gratia siue beneficium Papæ delegantis: Generatim autem omnis gratia, concessio, ac beneficium Papæ, ex stylo Curie, irritum est, si fiat excommunicato, idque in odium excommunicationis. At verò actor coram Iudice litigare volens ius suum prosequitur; idèque valent acta, nisi per exceptionem excommunicationis repellatur.

4 QVÆSTIO secunda; Vtrum responsio huius c. habeat etiam locum in rescriptis a-

liorum Ordinariorum, quod & ea ipso iure irrita sint, si ab excommunicatis impetrentur? Resp. negatiuè, cum Nauarro consil. 44. de Sent. excomm. edit. 2. Suarez de cens. disp. 17. sect. 1. n. 2. Nam nomen rescripti, absolutè pronunciatum, accipitur pro responso Principis, seu eius qui Superiorem non habet. Confirmatur ex eo, quod ideo consuetudo Curie Romanæ vigeat, vt rescriptis omnibus absolutio à censuris præmittatur, in ordinè ad effectum eorum consequendum; quod fieri solet ad cautelam, iuxta ea quæ dixi lib. 1. Theol. mor. tr. 5. p. 1. c. vlt. n. 8. Quæ tamen absolutio in Episcoporum rescriptis præmitti non solet.

Interdum verò in absolute ad cautelam, siue ad effectum præsentis gratiæ, v. g. dispensationis consequendum, limitatio apponitur; Nisi in excommunicatione per annum inforderit; Tum verò executor gratiæ super hæc informationem capere debet: Nam de ijs omnibus inquirere debet, quæ si essent, aut non essent, gratiæ effectum siue executionem impedirent.

QVÆSTIO tertia; Vtrum responsio huius c. locum habeat in rescriptis Principum secularium, videl. Imperatoriis, Regiis, &c. Affirmat Nauarrus in eit. loco n. 2. & 6. Sed merito dubitat, & partem negantem probabiliorè autumat Suarez cit. l. 1. n. 3. Quia Pontifici solùm videtur propositum fuisse statuere de rescriptis Papalibus: quare cum decretum huius c. odiosum sit, non debet fieri extensio. Præsertim cum non sit eadem ratio aliorum rescriptorum; propterea quod ecclesiasticus Princeps; siue supremus Ecclesiæ Pastor excommunicatus, dum in excommunicatione persistunt, magis quàm alij auersari debet; & cauere, ne beneficia contumacibus & Ecclesiæ inobedientibus proueniant. Accedit, quod incommoda sequi possint, si rescripta aliorum Principum irrita sint, propter impetrantium excommunicationem, quæ tamen ab ipsis tolli non potest, sicuti Pontifex tollit absoluendo.

QVÆSTIO quarta; Num decisio huius c. locum etiam habeat, si excommunicatio occulta sit? Negat hic Archidiaconus, in cuius sententia

sententiam propendet Nauarr. cit. conf. n. 8. Sed contrarium ex communiore rectè docet Syl. ver. rescriptum q. 2. Suarez num. 4. Quia Pontifex generatim seu indefinitè loquitur de excommunicato; neque est ratio, cur ad excommunicatum notorium, seu publicum restringamus: Nam ubi ius non distinguit, nec nos distinguere debemus, l. de pretio 10. ff. de public. in rem actione. Confirmatur ex eo, quòd in rescriptis auctoritate Papali emanantibus absolutio ad cautelam præmitti solet ab excommunicatione, &c. siue notoria sit, siue occulta.

Veruntamen propter publicam & probabilem ignorantiam excommunicationis, fieri potest, ut acta à iudice delegato vigore rescripti valida sint, iure ipso supplente defectum, argum. l. Barbarius 3. ff. de officio Prætoris, Idque ex probabiliore docet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 22. n. 19. licet aliqui contradicant apud eundem.

CAPITVLVM II.

Cum in multis.

PARAPHRASIS.

1. Cum sæpe in iure infinitas, & multitudo nîmia reprobetur, ideo statuit Innoc. IV. Papa in Concilio Lugdunensi, ut, si quispiam contra certam personam rescriptum à Sede Apostolica impetrarit, cum clausula & quosdam alios, vigore eius clausulæ, non plures quàm tres vel quatuor in iudicium trahere possit. Item, ut impetrator rescripti nomina eorum in primo citatorio coram iudice delegato exprimere debeat; postea autem variare non possit, & pro nominatis alios substituere; ne videl. fraudi locus sit.

SUMMARIUM.

1. Clausula in rescripto quosdam alios non intelligitur ultra tres, vel quatuor, quorum nomina impetrata exprimere debet in primo citatorio, nec postea pro ijs alios substituere potest.

2. Si impetrator aliam personam citet, & ea non excipiat, processus irritus esse videtur.

Circa hoc c. duo breuiter aduertenda duxi: Primum, cum Gl. not. 3. Cum dicitur, necesse esse, ut impetrator personas non nominatas, seu in clausula indeterminatè contentas, coram iudice exprimat: intelligi debet sub conditione, si contra aliquas litigare velit: sin autem nolit; quia fortè cum ijs transigere mauult; nihilominus libellum contra personam in rescripto nominatam offerre potest: Quia nemo cogitur alicui litem intentare. Alterum cum Gl. ver. quorum: Si impetrans rescripti aliam postea personam, quam priùs non nominarat, citari faciat, eaque comparens nihil excipiat, processus irritus esse videtur: Quia iudex vi rescripti super hac persona iurisdictionem non accepit; consequenter nec per taciturnitatem partis acquirere potest, prout etiam dixi in c. Rodolphus 35. in fine hoc tit. Et videri possunt, quæ dicta in c. sedes 15. eod. tit. in antiq.

CAPITVLVM III.

Dispendia.

PARAPHRASIS.

Si quis plures actiones personales alteri intentare velit, non ad iudices diuersos, sed ad eosdem literas impetrare debet: similiter & reus, si eodem durante iudicio actorem in alia causa reconuenire, vel ad eum conueniendum rescriptum Apostolicum impetrare velit, ad eosdem iudices id fieri debet, præterquam si illos ut suspectos recusare possit. Quòd si vel actor, vel reus contra hanc constitutionem egerit, in primis commodo literarum carebit, & processus iudiciarius non subsistet. Deinde aduersario, si per tales literas citatus fuerit, ad expensas condemnandus erit.

SUMMARIUM.

1. Reus conuentus potest actorem coram eodem iudice reconuenire.

T 2

2. Et

2. Et dum lis ab auctore intentata pendet, coram alio eum conuenire nequit.
3. Lex irritans quandoque est pœnalis, interdum autem fauorabilis, & indifferens.

Idem fermè constitutum fuerat à Gregor. IX. Papa, supra in cap. vlt. hoc tit. Hic verò additum ab Innoc. IV. vt processus ipso iure irritus esset: Antea verò, si aduersarius coram altero iudice conuentus in actione personali, contra rescriptum malè impetratum non excepisset, processus coram eo iudice vim habuisset. Idque colligitur ex ver. *ampliantes*, ibid. Gl. & ver. *processus valeat*.

Porro cum hic fermo tantum sit de impetrantibus rescriptum ad Iudices delegatos, in actionibus personalibus; non potest id extendi ad actiones reales; vel ad Iudices ordinarios, etiam quoad personales actiones; saltem quod attinet pœnam irritationis processus. Qua de re videri potest Ioan. Andr. hic, Anton. n. 18. & seqq. Francus n. 3. Innoc. & alij in cit. c. vlt. Matth. de Afflict. decif. Neap. 354. n. 6. & seqq.

NOTANDVM I. Licet rescripta iustitiæ stricti iuris sint, & non extendenda ad casum, aut personam non expressam, tamen ius reconventionis postulat, vt qui alterum per rescriptum ad iudicem delegatum traxit, coram eodem vicissim conueniri queat. Ita hic in §. Reus quoque, & in l. cum Papinianus §. 4. iun. Auth. Et consequenter, C. de sent. & interloc. Ratio est, quia si quis elegerit Iudicem contra aduersarium, ægrè ferre non potest, vt & aduersarius eundem habeat contra se; cap. 1. & 2. de mutuis petit. Idque ampliari debet primò; Quòd locum habeat, etiam si iudex alioquin iurisdictionem non habeat in auctorem; si tamen is reum conueniat, non potest reconuenire volenti exceptionem incompetentis iudicis obicere, cit. l. cum Papinianus. Secundò; Locum habet reconuentio non tantum circa idem negotium, super quo impetratum est rescriptum, sed etiam super alio quolibet; ita, vt utraque causa simul definienda sit, cap. 1. de mutuis petit. Tertiò; Quòd reus conuen-

tus non tantum possit auctorem coram eodem iudice reconuenire; sed etiam quòd coram alio, dum lis ab auctore intentata pendet, conuenire non possit, cit. Auth. Et consequenter. Eademque ratione hic dicitur, quòd reus conuentus, lite durante, ad aliam Iudicem, quamuis in diuersa causa, rescriptum impetrare nequeat, vt videlicet litibus valde exosis, moderamen aliquod adhibeatur. Quarto, quòd rescripti impetrator, postquam illud præsentauit Iudici delegato, & aduersarium citari fecit, non possit per penitentiam reslire; quòd minus reus comparens illum reconuenire possit, etiam reluctantem; quare rescriptum veluti commune vtrique parti factum est, argum. l. petende §. 6. Cod. de temporibus in integr. restitut. Videri potest Vdalricus Zasius in l. si quis iniquum, col. 2. ff. Quod quisque iuris &c. vbi regulam tradit; Iis quæ habeo auctore te, vt possum contra te, quamuis nolente te.

NOTANDVM II. Circa verba finalia, *Simili pœna* &c. quòd lex irritans, quandoque sit pœnalis; & hac ratione odiosa, nec facile extendenda. Dico *quandoque*; quia non semper lex irritans pœnalis est; sed interdum publicam vtilitatem spectans, idè quæ fauorabilis; interdum verò indifferens, prout hanc rem explicat Suarez lib. 5. de legibus cap. 19. n. 8. & seqq.

CAPITVLVM IV.

Cum aliquibus.

PARAPHRASIS.

Si in aliqua ecclesia consuetudo vel statutum vigeat iuramento, vel Apostolicæ Sedis confirmatione roboratum, vt ultra definitum numerum Canonici non instituantur; Pontifex autem facultatem tribuat aliquem recipiendi supra numerum; dubitatur; an is auctoritate Apostolicâ receptus censeatur, an verò per potestatem *Collatoris ordinarij*, v.g. Capitularium, ad quos literæ diriguntur. Resp. Bonifac. VIII. esse distinguendum. Si enim recep-

receptio seu institutio Canonici non pertinet ad eos, quibus literæ mittuntur, sed per eos facultatem acquirunt instituendi, tunc Apostolicâ auctoritate receptus censeatur. Si verò ad ipsos Capitulares v. g. ad quos literæ destinantur, receptio seu institutio Canonici pertinet, tunc eorundem potestate receptus censeatur, nisi in literis expressum fuerit, ut auctoritate Apostolicâ recipiatur.

SUMMARIUM.

1. Receptus in Canonicum, Papali auctoritate receptus, preferendus est alteri etiam auctoritate Legati Apostolice recepto.
2. Gratia beneficalis à Papa impetrata contra consuetudines, privilegia aut statuta, non valet, nisi eorum mentio fiat per clausulam derogatoriam saltem generalem. Non obstantibus, &c.
3. Papa, Princeps, vel alius Superior mandans aliquid ordinariam habenti potestatem, non facit eum delegatum sine executorem, sed excitat eius potestatem, vel si impedita sit, impedimentum tollit.
4. Potest tamen is ipse constitui commissarius aut delegatus, si videl. exprimat, ut Apostolicâ auctoritate v. g. procedatur.

QUÆRES: Ad quid referat, num Canonici in casu huius c. Apostolicæ Sedis auctoritate, an verò ordinarij collatoris, receptus censeatur? Resp. cum Gl. in princ. c. Quia si Papali auctoritate in Canonicum receptus fuit cum expectatione præbendæ, in eius affectatione, alteri, etiam auctoritate Apostolice Legati recepto, præferri debet, c. hi qui 12. de præb. in 6.

NOTANDUM I. Gratia beneficalis à Pontifice impetrata, contra ecclesiæ alicuius privilegia, consuetudines, aut statuta non valet, nisi eorum mentio fiat, saltem per clausulam derogatoriam generalem; Non obstantibus &c. Ita sumitur ex hoc c. & do-

cet hîc Ioann. Andr. & Francus n. 1. addens, si statutum iuratum sit, etiam iuramenti mentionem faciendam esse, idemque est, si aliâ speciali ratione statutum confirmatum, roboratumque sit, uti ex hoc c. colligitur, & dixi de hac re in c. Constitutus 19. n. 1. hoc tit. in antiq.

NOTANDUM II. Si Papa, aliûsue Princeps, aut Superior aliquid mandet ordinariam habenti potestatem id agendi, non censeatur eum facere delegatum, siue executorem, sed excitare eius potestatem, vel, si ea impedita sit, dispensando, aut relaxando tollere impedimentum: Hæc est præcipua intentio huius c. & notat Gl. in casu, & videri potest Ioann. Monachus hîc, Gl. in c. licet 12. Felinus ibid. & alij, de offic. Ordin. vbi de hac re agendum.

NOTANDUM III. Etiam si quispiam ordinariam potestatem quidpiam agendi habeat, potest tamen à Principe in eo negotio constitui commissarius aut delegatus, si videl. exprimat, ut Apostolicâ v. g. auctoritate procedatur, sicuti hîc apparet in fine c. & in c. si apostolicæ 22. de præbend. in 6. Nam omnia nostra facimus (ait Imperator in l. 1. C. de veteri iure enucleando, allegatque in Gloss. c. 1. ver. auctoritate, de transact.) quibus auctoritatem nostram impartimur. Idque annotavit hîc Francus n. 4. iniquens, id obseruandum in commissiõibus, quæ à Papa locorum Ordinarijs fiunt. Plerumque tamen vocula ea: *Vice nostrâ procedas, aut, ut Apostolica Sedis delegatus*, adijci solet, si commissio aut mandatum excedat potestatem iudicis ordinarij, siue quoad causam secundum se, siue quoad personas, si videl. ab ordinaria iurisdictione exempta sint, uti passim in decretis Trident. Concilij de reformatione, videri licet.

CAPITVLVM V.

Si gratiosè.

PARAPHRASIS.

Notum est ex c. cum in cunctis. 7. §. cum

T 3

rd. de electione, quòd beneficia omnia electi in Episcopum post eius confirmationem & consecrationem ipso iure vacant. Verùm Pontifex cuidam ad Episcopatum promotò gratiam fecit, vt beneficia antea obtenta retinere possit vsq; ad beneplacitum voluntatis suæ, id est, quamdiu ipsi placuerit. Dubitatum fuit hoc casu, an mortuo illo Pontifice gratia expiret. Affirmat Bonif. VIII. propterea quòd per mortem extinguatur voluntas, seu beneplacitum. Secus autem est, si dictum fuerit vsque ad beneplacitum Sedis Apostolicæ; quia enim Sedes ipsa, seu dignitas Episcopalis non moritur, ideo gratia durat perpetuò, nisi à Successore reuocetur. Cæterum talis gratia Pontificia intelligitur tantum de beneficijs canonicè obtentis; non autem mens est Pontificis dispensare in beneficijs non canonicè acquisitis.

SUMMARIUM.

1. Gratia facta Episcopo, vt possit retinere beneficia, est odiosa, ideòq; stricta interpretationis.
2. Gratia concessa à Principe vsque ad beneplacitum suum; per mortem eius, etiam civilem, expirat.
3. Non item, si in rescripto dicatur: donec reuocauero, vel, quamdiu aliter non ordinauero.
4. Vti nec expirat, si concessa sit gratia vsque ad beneplacitum Sedis, seu dignitatem, seu iurisdictionem obtinentis.
5. Gratia ad beneplacitum Papæ, Regis, Episcopi, qui concessit, est perpetua, nec extinguitur cum persona, nisi aliud ex verbis adiunctis, aliusue circumstantijs colligi possit. Sunt tamen qui contrarium docent.
6. Si in rescripto gratia tam persona, quam dignitas expressa sit, probabilis est, per mortem concedentis gratiam non expirare.

NOTANDVM I. Tamen si beneficia omnia assumpti ad Episcopatum ipso

iure vacant per promotionem (vti vocant) prout habetur in c. cum in cunctis 7. §. Cum verò, de elect. potest tamen Pontifex Rom. & quandoq; solet ex iusta causa gratiam facere, vt ab Episcopo retineantur: Ea tamen, quia odiosa est, quippe beneficiorum pluralitatem, ministrorum paucitatem inuehens, ambitionemq; nutriendam, strictæ interpretationis esse debet. Videri possunt quæ docui Theol. moral. lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 5. & 8.

NOTANDVM II. Gratia à Principe concessa vsq; ad beneplacitum suum, eo mortuo, sine alia reuocatione expirat, Idemque sentiendum de verbis æquipollentibus, vt si dicatur, donec voluero, quamdiu ita mihi placuerit &c. prout rectè docet Mol. in tr. 2. de iust. disp. 298. n. 10. & tr. 5. disp. 20. n. 6. Suar. lib. 8. de legib. disp. 33. n. 3. Ratio dari debet; quia verba ostendunt gratiam non absolutè cõcedi, sed cum limitatione, quamdiu perseverauerit concedentis voluntas, siue beneplacitum; cum itaque per mortem id omnino extinguatur, vti in textu dicitur, sequitur, etiam gratiam ita concessam extingui. Et debet hæc doctrina generatim intelligi de omni gratia, seu Principis beneficio, quantumuis fauorabili, prout ex communi tradit Gl. hic ver. morte, Francus n. 10. Couarr. lib. 3. var. resol. c. 15. n. 4. Suar. cit. loco, Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 28. n. 50. Quia ratio tradita in textu huius c. quòd per obitum personæ eius beneplacitum extinguatur, perinde in omnibus gratijs locum habet; etiam Papalibus indulgentijs, sicuti Suar. notauit. Sumiturque eadem doctrina ex l. locatio 4. ff. locati, ubi dicitur: Locatio, precariæ rogatio ita facta, quoad is, qui eam locasset, dedisset, velle, morte eius qui locauit, tollitur. Vbi Bartolus quasi rationem assignans ait, voluntas morte finitur.

Ampliari debet tradita doctrina, vt locum etiam habeat in morte civili, videlicet depositione ab officio, eiusue resignatione, prout ex communi docet Sanchez cit. disp. 28. n. 56. Ratio dari debet, quia etiam tunc voluntas, seu perseverantia in voluntate concedendæ gratiæ cessat, eò quòd radix & facultas

facultas volendi concessione, aut in voluntate perseverandi, quod est officium, penitus cessarit. Sed alia ratio est, si potestate præditus qui gratiam concesserat, in excommunicationem labatur, prout idem Sanchez ex communi tradit n. 57. Francus hic n. 12. post Bartol. in l. centesimis, §. Si ita stipulatus n. 12. ff. de verb. obligat. Ratio dari debet: quia voluntatis perseverantia, sicuti & ipsa potestas siue officium radicaliter manet in excommunicato, aut suspenso, tametsi quoad exercitium impeditum sit: quemadmodum & in dormiente manet. Sed dubium est, si in furorem, seu amentiam eamque perpetuam incidat Princeps, num beneplacitum cessare, ideoque gratia extincta censetur? Affirmat Bartolus cit. loco. Sed contrarium rectè docuit Covarr. cit. n. 4. ver. Tertiò. Sanchez n. 58. Qui enim in furorem siue amentiam incidit, dum dignitatem, iurisdictionemque retinet, atque per Officiales, aut Vicarium administrat, interpretatiuè retinet voluntatem, eo ipso, quòd mutare eam non potest, arg. c. maiores 3. §. vlt. de Baptismo, & l. si is qui 27. ff. de acq. possess. vbi dicitur, quòd qui possessionem saltus animo retinebat, furere cœpit, eam non amittat, imò amittere non possit: furiosus, inquit ibi IC. Proculus, non potest desinere animo possidere.

Porro, si in collata gratia seu privilegio dicat Princeps, quòd permanere debeat, seu eo frui possit privilegiatus, donec reuocauero, vel, quamdiu aliter non ordinauero, per mortem concedentis non finitur; quia ad reuocationem, seu contrariam ordinationem actus positivus requiritur, prout ex communi docui lib. 1. Theol. mor. tr. 4. cap. 23.

p. 5.

Ex his colligit Sanchez lib. 7. moral. cap. 29. n. 113. Si Religiosus administrationem, officium, siue obedientiam à Prælato acceperit, referre, vtrum ea collata sit absolutè, vel cum addito, donec reuocauero (quæ tamen conditio nihil addit, aut demit: cum de iure insit, sicuti & in gratia seu privilegio, c. cum ad monasterium 6. de statu Monach.) tunc enim non amittitur per mor-

tem conferentis: An verò collata fuerit ad beneplacitum Prælati; tunc expirat morte concedentis, prout etiam annotavit Ioann. Andr. in c. porrecta, in fine, de confirm. vtili & inutili.

NOTANDVM III. Si gratia à Principe concessa sit vsque ad beneplacitum Sedis, seu dignitatem aut iurisdictionem obtinentis, non extinguitur per mortem concedentis. Ratio datur in textu c. quia Sedes ipsa, siue dignitas non moritur, sed post mortem vnus vacat, & ad successorem transit. Eapropter Gl. hic ver. perpetuò, annotavit; Sicuti privilegium diuiditur in personale & reale, respectu eius cui conceditur; quia interdum conceditur personæ, & cum eadem extinguitur; interdum conceditur rei, v. g. Sedi, aut dignitati episcopali; tum ad successores in dignitate transit, reg. 7. in 6. reg. 68. & 156. ff. & docui lib. 1. Theol. moral. tr. 4. c. 23. n. 4. Ita etiam dici potest respectu concedentis; quòd aliud proueniat tanquam à persona eius; & ideo cum eadem extinguitur; aliud verò proueniat, tanquam à dignitate & officio eius; & ideo cum dignitate permanet privilegium, donec positiuè reuocetur.

QVÆRITVR autem primò; Si gratia alicui facta sit cum adiectione, quamdiu Roman. Pontifici placuerit, siue ad beneplacitum Regis, ad beneplacitum Episcopi, vtrum expirat per mortem eius Põtificis, Regis, aut Episcopi qui concessit? Doctores non consentiunt, vti videre est apud Sanchez cit. disp. 28. n. 62. cuius sententia mihi placet; In dubio, & nisi aliud ex verbis adiunctis, aliisue circumstantijs colligi possit, existimandum esse, gratiam esse perpetuam, nec extingui cum persona; quandoquidem emanauit sub nomine officij, seu dignitatis; quemadmodum si alicui delegatio facta sub nomine officij, aut dignitatis, eo mortuo non expirat mandatum, c. quoniam 14. de off. delegati. Contrarium tamen docuit Covarr. cit. cap. 15. n. 2. Mol. cit. disp. 298. n. 14.

QVÆRITVR secundò; Si vtrumque, tam persona, quam dignitas expressa sit; Concedimus tibi facultatem &c. vsq. ad beneplacitum

CITATUM

citum nostrum & Apostolica Sedis, num per mortem concedentis extinguitur? Tractat quæstionem Francus hic n. 14. & refert Ioann. Andr. & Hostiensem, qui negant: Alios autem qui affirmant, si norma in personæ præcessit; quippe cuius tam maior ratio habenda sit, propter ordinem scripturæ. argum. l. si communis seruus 37. ff. de stipul. seruorum. Arbitror priorem sententiam esse probabiliorem: Quia verba ita intelligi debent, vt frustra posita non sint; esset autem frustranea ea adiectio & Apostolica Sedis; nisi dicamus, sensum esse, gratiam dependere à beneplacito Sedis, ac dignitate, quam nos nunc gerimus, Apostolica. Quare, si res dubia sit, sensus iste præferendus; maximè in gratia seu priuilegio, nemini præiudicante; quippe quod amplam interpretationem meretur, c. quamuis 4. de præbendis in 6. & suapte naturâ perpetuum, seu mansurum est, donec per actum reuocetur, iuxta reg. 16. in 6. Decet, concessum à Principe beneficium esse mansurum.

Adde, quod Andr. Gajll lib. 2. obi. 60. n. 16. dicat, non obseruari, vt gratia & priuilegium à Principe concessum, morte concedentis non extinguitur. Cuius rei non aliam rationem reddi posse video, nisi quod verba ea; *Concedimus ad beneplacitum Cæsarsæ Maiestatis nostræ*, benignè explicari possint, sicuti paulo antè significauimus; vt proinde intentio Principis fuerit duntaxat cauere, & admonere, priuilegium non transire in contractum, nullamque obligationem parere sibi & successoribus, sed liberè reuocari posse. Quæ conditio licet suapte naturâ priuilegijs & gratijs insit, tamen expressa cautio obesse non potest, & quandoque, ad omnem dubitationem tollendam, prodesse, iuxta illud vulgatum, quod *abundans cautela non nocet*, reg. ff. non solent 95.

CAPITVLVM VI.

Susceptum.

PARAPHRASIS.

Pontifex mandat Episcopo v. g. vt à Titio

clerico acceptâ beneficii, quod possidebat, resignatione, illud Sempronio clerico conferret: accidit verò, vt Titius, antequam resignaret, mortem obiret: hoc casu Episcopus mandatum Apostolicum exequi non potest; cum beneficium non per resignationem, sed per mortem vacauerit; præterquam si de mandantis intentione aliud expresse appareat. Deinde, si duo super eodem beneficio literas Papales impetrent; quorum primus natus fuerit vacare illud per obitum, posterior autem vacare per resignationem; hoc in casu, secundus, posthabito priore, beneficium assequi debet, posito quod per renuntiationem siue cessionem vacauerit.

SYMMARIVM.

1. Vacatio beneficii per mortem, & resignationem, sunt diuersi modi seu species beneficiorum vacantium: ideo si in rescripto mandetur alicui conferre beneficium vacans, aut vacaturum per resignationem, non potest ei conferri beneficium vacans, vel vacaturum per mortem.
2. Quod similiter locum habet in alijs modis siue speciebus vacationis. Imò non tantum locum habet in rescriptis beneficialibus, sed etiam in omnibus rescriptis gratiæ, seu beneficijs Principis (etsi ea motu eius proprio concessa sint) & aliorum Ordinariorum.
3. A verborum proprietate & communi acceptione recedendum est, si de alia intentione scribentis appareat.
4. Mors civilis morti naturali non equiparatur, nisi in casibus iure expressis.

NOTANDVM I. Si in rescripto beneficii mandetur alicui conferri beneficium vacans, aut vacaturum per resignationem; non potest ei conferri, si vacet aut vacaturum sit per obitum. Ratio indicatur in textu, iun. Gl. ver. susceptum. quia vacare per obitum, & vacare per renuntiationem, sunt

sunt diuersi modi, ac veluti species beneficiorum vacantium: Ergo quod de vna dicitur, non potest de altera intelligi: siquidem à diuersis non fit illatio, sed si ante 17. ff. de except. l. si maritus 10. C. de donat. inter virum & uxorem, Guido decif. Gratianopol. 264. n. 3. Videri possunt quæ suprà dixi in c. significante 34. hoc tit.

Ampliari debet doctrina primò; Quòd simpliciter locum habeat in aliis modis siue speciebus vacationis, vt si mandetur alicui conferri beneficium, quod vacat per affectionem alterius incompatibilis, non potest conferri, quod vacat per matrimonij cōtractum: Præterquam si clausula adiecta sit, *vel quouis alio modo vacauerit*. Quæ de re post Gl. ver. expressè, videri potest Francus hic n. 8. qui addit n. 9. Si facta sit impetratio beneficii vacantis per mortem Petri defuncti decedentis eo loco, tempore, vel alio quouis modo, non valiturum rescriptum, si non per mortem Petri, sed alterius antecessoris proximi vacauit. Quia clausula *vel alio quouis modo* refertur ad id tantum, præsertim in hac materia strictè, quod proximè antecessit.

2 Ampliari debet secundo, quòd tradita doctrina non tantum locum habeat in mandatis, & rescriptis beneficialibus, quæ strictè interpretationis esse debent; & in propria specie ac forma impleri, iuxta l. diligenter 5. ff. mandati, sed etiam in omnibus rescriptis gratiæ seu beneficii Principis, tametsi largam explicationem mereantur, prout rectè hic docet idem Francus n. 6. dans exemplum de eo, cui facta est facultas conferendi quinque beneficia vacantia in diœcesi per mortem, non potest is vi huius priuilegij conferre vacantia per renunciationem, prout docent DD. in c. quamuis 38. cum Gl. ver. decedentium, de præb. in 6. & c. sicut 5. cum Archidiacono & Gl. ver. decedentium, de verb. signif. eod. libro. Idque probatur: Quia nulla gratia, aut dispositio extendi potest ultra mentem seu intentionem concedentis, aut disponentis: Mens autem siue intentio disponentis ex verbis colligi debet secundum propriam institutionem eorum, aut communem acceptionem, qua de re dixi lib. 1. Theol.

moral. tr. 4. c. 18. n. 5. Quamobrem dicunt DD. quòd priuilegium non plus operatur, quàm verba exprimunt, vt colligitur ex c. porrò 7. de priuileg. vbi Gl. ver. tenorem, quòd *priuilegium in sua forma tantum seruari debet, & non ultra extendendum*. Et videri de hac re potest Suarez lib. 8. de legibus c. 28. num. 15. 16. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 4.

Ampliari debet tertio; Vt etiam locum habeat doctrina, etsi gratia proprio motu Principis concessa sit: propter rationem iam traditam; idque docuit idem Suarez n. 15. cum Gl. in Clem. 2. ver. directas, de præbend. vbi ait, quòd *motus proprius non ampliatur gratiam, aut vim verborum, licet excludat subreptionem*.

Ampliatur quartò, quòd doctrina huius etiam habeat locum in rescriptis aut concessionibus aliorum Ordinariorum; quia ratio suprà tradita eodem modo in ijs ostendit.

NOTANDUM II. Circa ea verba, *Nisi de intentione mandantis, &c.* Quòd à verborum proprietate & communi acceptione recedendum sit, si de alia intentione scribentis appareat, iuxta l. non aliter 67. ff. de legat. 3. *Intentio*, inquit Francus hic n. 4. *preferitur verbis, si de illa appareat, seu probari potest*. Quia verba instituta sunt ad significandam intentionem siue mentem loquentis: si ergo de ea aliunde constet, ratio verborum habenda non est. Quod vel maximè locum habet in Principe, qui verborum certæ formæ astrictus non est.

Aduertendum autem hoc loco, extensionem hanc verborum ultra eorum proprietatem, aut communem acceptionem, factam ex mente seu intentione loquentis, aut mandantis, vberiore & ampliore esse oportere in materia fauorabili, quàm in materia odiosa, aut quæ strictam interpretationem requirit, prout admonet idem P. Suarez cit. cap. 28. n. vlt. Quare non immeritò Pontifex in casu huius circa materiam odiosam versante, requisit, vt à recepta verborum significatione recedatur, de alia scribentis intentione *appareat expressè*. Sin autem materia fauorabilis sit, v. g. Principis gratia nemini præiudi-

iudicans: item statutum aliquod, vel promissio obligationem inuehens, minore euidencia, attamen coniecturæ valde probabiliter conuincentes sufficientes ad hanc vltra verborum proprietatem &c. faciendam extensionem. *Spestanda est*, inquit bene Suarez, *materia subiecta: nam ad illam solent verba accommodari: & præcipue spectandum est, an sit materia ambitiosa, vel etiam periculosa, ex qua possit sumi occasio ad multiplicandas lites, vel peccata; vt videl. tunc verba coarctentur. Præterea circumstantia omnes causarum, & personarum diligenter attendenda sunt: nam hæc omnia conferunt, tum ad significationem verborum, tum ad mentem Principis intelligendam. Videri possunt, quæ dixi in c. 3. de Constitut.*

Exinde resolui potest; Si vel à fundatore mandatum, vel à Capitulo aliquo legitime statutum sit, vt post mortem vnius beneficiarij, persona talis qualitatis substituatur; vel persona substituta, in locum defuncti, tale onus, aut commodum ferre debeat; num idem quoque extendi debeat ad eos, qui in beneficio succedunt per resignationem. Qua de re Ioann. Andr. hic col. 1. Francus n. 3. Arbitror autem non posse generalem doctrinam tradi; sed ex materia subiecta, & circumstantiis colligendum fore, quænam fuerit mens statuentium; quippe qui sæpe ad iuridicam verborum acceptionem non exacte attendere solent; atque interdum vnâ speciem vacationis, vid. per mortem, tanquam quæ cõmuniter accidere solet, nominare; vt tamen idem quoque in alijs, ob rationis identitatem, fieri velint; iuxta doctrinam apud Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 8. n. 13. quod verba posita in dispositione ob frequentiore vsum, eam non restringunt.

4 NOTANDVM III. Mors ciuiliſ (vid. renunciatio aut depositio) morti naturali non æquiparatur, nisi in casibus iure expressis. Ita sumitur ex hoc c. iun. Gl. ver. non morte, & l. ex ea parte, 12 l. 1. In insulâ, ff. de verb. obligat. vbi Gl. quod appellatione mortis, naturalis intelligitur, non ciuiliſ. Tametsi enim mors ciuiliſ, v. g. depositio, æquiparetur in iure morti naturali, tamen æquipara-

tio ista locum nõ habet, nisi in casibus æquiparatis, vt videre licet apud Franc. hic & DD. ab eo citatos n. 16.

CAPITVLVM VII.

Gratia.

PARAPHRASIS.

Titius ignorans beneficium ab Episcopo sibi absenti collatum esse, impetrauit aliud beneficium à Sede Apostolicâ, nulla facta mentione beneficij prius sibi collati. Hoc casu dubitatum fuit, vtrum gratia Papalis valida, an vitiosa, seu subreptitia sit. Resp. Bonifac. VIII. validam esse, ita vt quidem vtrumque retinere non possit, si beneficia incompatibilia sint; fore tamen in optione impetrantis, vtrum eorum relinquere velit.

SUMMARIUM.

1. Beneficio sibi ab inferiore collato, nondum autem acceptato, potest à Papa valide aliud impetrare, nulla etiam mentione facta de collatione prioris; alterutrum tamen retinere debet, si de iure simul sint incompatibilia.
2. Rescriptum tucitâ veritate obreptum, si ne dolo, valebit, si Papa etiam veritate cognitâ id concessisset, quamuis alio modo, aut sub alia conditione.

Variæ sunt huius c. explicationes, vt videre licet apud Domin. hic, & Francum n. 3. DD. in c. super literis, vbi Anton. n. 27. Abb. n. 5. Felin. n. 6. hoc tit. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 60. Quid sentiam mox indicabo.

NOTANDVM Vn. Si cui ab inferiore collatore beneficij collatio facta sit, isque nondum acceptarit, seu consensum dederit, à Papa, nulla etiam mentione facta ea collatione, valide impetrat gratiam alterius beneficij: Si tamen vtrumque simul secundum canones retinere non possit, altero, quod maluerit, contentus esse debet. Hunc sensum videtur amplecti Gl. super ver. ignoranti. Quod

Quod rescriptum beneficiale in hoc casu validum & non obreptitium sit, ita ostenditur: Vel enim esset obreptitium, quod secundum stylum Curiae, mentio prioris beneficii, quantumvis modici, tanquam forma seu conditio necessaria, requiratur, iuxta c. penult. hoc tit. in antiq. & c. si motu 23. de præb. in 6. Id verò dici non potest: quia canones isti loquuntur de beneficio obtento. In casu autem nostro prius beneficium obtentum non est, cum ante consensum præstitum, is cui collatio facta, nihil penitus iuris in illo habeat, præter id, quod consentiendo siue acceptando ius in eo acquirere possit, c. si tibi absentis 17. de præb. in 6. Vel obreptitium esset ex eo, quod taciturnitas factæ collationis, quamvis necdum acceptatæ, causam præbeat rescripti siue gratiæ Papalis: quandoquidem si Papa veritatem cognovisset, verisimiliter non concessisset, cum per hanc viam beneficiorum pluralitas inuehi possit, à qua sacri canones, eorumque fideles custodes Romani Pontifices abhorrent, vti colligitur ex c. cum ad e. 17. c. postulasti 27. c. in nostra 32. hoc tit. & ex Concil. Trident. sess. 24. c. 17. de reform. Verùm advertere oportet ad suprà cit. c. super literis 20. jis verbis: *saltem in forma communi literas dedissemus*; Exinde enim sumitur doctrina, si rescriptum (siue iustitiæ, siue gratiæ; cum eadem utriusque ratio sit, nisi quod hoc propter obreptionem, ipso iure vitiatum, illud verò ope exceptionis) tacita veritate obtentum sit, sine dolo, valiturum rescriptum, si Papa etiam veritate cognita, concessisset, quamvis alio modo, aut sub aliqua conditione: tunc enim rescriptum siue gratia, saltem cum eo modo, aut conditione, executioni mandari poterit. Id verò in proposito casu ita accidit: Aut enim duo illa beneficia impetrans de iure, id est, iustè, & canonicè simul obtinere potest; tunc taciturnitas ea prioris collati, non acceptati beneficii, nequaquam est causa gratiæ Papalis; quia eam Papa, etià re cognita, absolutè, eodemque modo fecisset. Aut utrumque simul de iure, id est, iustè, legitimè, canonicè obtineri non potest: (non tantum si speciali ratione incompatibilia sint, iuxta c. referente,

7. & c. de multa 28. de præb. sed etiam ideo, quia obstat à sacris canonibus prohibita beneficiorum pluralitas, quorum singula ad honestam sustentationem sufficient) tunc Pontifex illi, qui collationi, aut etiam electioni de se factæ non consentit, aliud quoque conferret, sed sub modo & conditione, quæ hic expressa est, vt utrumque non retineat; sed si prius acceptare velit, postèrius à Papa impetratum relinquat: sin hoc malit, illud ne acceptet, vel acceptatum resignet. Quod ipsum in hoc c. tanquam æquum & canonicum fieri iubetur.

CAPITVLVM VIII.

Quamuis.

PARAPHRASIS.

Titius à summo Pontifice gratiam obtinuerat de conferendo ipsi beneficio in ecclesia Cathedrali N. Mox idem Pontifex, vel successor eius gratiam reuocauit: Deinde verò similem gratiam Caio clerico ad eandem contulit ecclesiam: Postea dictus clericus Titius gratiæ reuocatae restitutionem ab eadem Apostolica Sede impetrauit. Cum itaque in ea Cathedrali ecclesia beneficium vacasset, dubitatum fuit, Titiusne, an Caius in eius assentione esset præferendus? Respondet hic Bonifacius VIII. Papa, Titium præferendum esse: Quia talis restitutio, si aliud non exprimitur, fieri censetur sine præiudicio iuris alieni.

SUMMARIVM.

1. Princeps nunquam censendus est gratiam alteri facere cum alterius iuris præiudicio.
2. Restitutio à Principe alicuius ad iura sua legitimè amissa, noua gratia est, idèque non semper ea sit in integrum.
3. Episcopus non potest restituere presbyterum ob crimen depositum, inuito patrono.

NOTANDVM I. Princeps nunquam censendus est alicui gratiam facere, cum alterius

terius iactura, siue diminutione iuris sui, nisi id exprimat. Dixi de hac re in c. quæ in Ecclesiarum 7. de Constitut. Admonet autem Francus hic n. 7. ex hoc textu apparere, id etiam locum habere *in materia, in qua Princeps per solam voluntatem suam posset ius alterius auferre, prout est in materia beneficii.*

2 NOTANDUM II. Si quis à Principe ad iura sua, quæ legitimè amisit, restituitur, censetur hæc noua gratia, idèoque non semper sit ea restitutio in integrum, ita vt omnia recuperet, quæ tempore priuationis habebat, prout fieri solet in restitutionibus, quæ exigente iustitia, aut æquitatis ratione fiunt, ob læsionem, ob vim, &c. l. 1. ff. ex quibus causis maiores & c. l. 1. & l. ult. in fine C. de sentent. passis. Ita sumitur ex hoc c. ver. cum talis, in Gl. ibid. & docet Baldus in cit. l. ult. Felinus in c. venerabili princ. de offic. deleg. Abb. in c. quia, n. 9. de elect. Ratio est: quia actio, seu ius qualecunque, quod semel extinctum est, non renascitur, h. quires 95. §. Aream, ff. de solut. ubi dicunt DD. quòd obligatio extincta nunquam reuiuiscit.

Exinde colligitur primò eum Gl. hic ver. cum talis, quam Canonistæ communiter sequuntur. Zafius item allegato textu huius c. in l. iura ff. de legibus; Si quis à Principe ob commissum crimen bonis suis priuatus sit, & postea restituatur, non recuperari ab ipso ea bona, quæ medio tempore alienata, aut alteri donata sunt: Cum enim rus ac dominium bonorum pristinum amiserit, illud per restitutionem non recuperat: sed per nouam gratiam, concessionem, seu donationem Principis; quæ fieri non censetur cum præiudicio iuris aliis personis acquisiti. Quare neque fructus intermedio tempore percepti recuperabuntur; si eorum percipiendorum ius alteri relinqueretur, Auth. Idem de Nestorianis, Cod. de hæreticis, & docet Francus hic in fine c. Zafius citato loco. Dixi de hac re aliquid in c. quæ in ecclesiarum, dub. 1. de Constitut.

3 Secundò colligit eadem Gl. communiter recepta; Si ecclesiæ alicuius Presbyter ob crimen canonicè amotus, seu depositus sit,

postea restitui non possit ab Ordinario, sine patroni consensu, seu repugnante patrono. Ratio dari debet; partim quia est potius hæc noua institutio, quàm iuris pristini restitutio; ideo quodammodo noua patroni presentatio necessaria est: partim quia negari non potest, vacante beneficio per depositionem, patrono acquiri ius alium presentandi; quod ius inuito adimi non debet.

CAPITVLVM IX.

Si eo tempore.

PARAPHRASIS.

Sempronius cum vicesimum quartum ætatis annum necdum haberet, idèoque propter ætatis defectum ad beneficium curatum inhabilis esset, c. cum in cunctis. 7. de electione. à Pontifice impetrauit mandatum de prouidendo ipsi beneficium cum cura, vel sine cura animarum. Cum autem Sempronius annum ætatis 24. assuetus esset, vacauit in ecclesia beneficium curatum; dubitatur, an autoritate literarum Apostolicarum ipsi conferendum esset. Resp. Papa, conferri non posse: quia in gratiis beneficalibus inspiciendum est tempus datae literarum. Cum itaque eo tempore Sempronius inhabilis fuerit ad beneficium curatum, habilis verò ad non curatum: vigore eius rescripti consequi potest beneficium sine cura, non autem cum cura.

SUMMARIVM.

1. Rescriptum beneficaliale, quod & quatuordecim tempore datae literarum fuit propter obreptionem irritum, non conualescit traktu temporis ob rei mutationem.
2. Idem quod secundum unam partem obreptum est, secundum alteram, non connexam, sed separabilem, consistere potest.

NOTANDUM I. Rescriptum gratiæ, seu beneficaliale, quod, & quatenus tempore impe-

impetrationis seu datæ literarum, propter obreptionem, irritum fuit, non potest tractu temporis, propter rei mutationem, conualescere. Ita intelligit & explicat Abb. in c. dilectus 27. n. 8. de præb. Felin. in c. eam te n. 18. hoc tit. Mart. Nauarr. in c. si quando except. 10. n. 6. vbi ait, quod ad cognoscendum, num rescriptum beneficiale obreptitium sit, attendi debet tempus *datæ*: Ita vt non sufficiat tempore executionis impetrandem habilem esse ad beneficium; nisi etiam fuerit tempore impetrationis, siue datæ literarum. Qui est casus huius cap. Ratio dari debet, quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio de iure non subsistit. reg. 18. in 6.

Neque obstat huic doctrinæ c. ei cui 29. in 6. vbi significari videtur per sensum contrarium, interprete Gl. ibid. ver. nondum. Si quispiam à Papa gratiam impetrauit, quâ simpliciter mandabatur, vt beneficium proximè vacaturum ei conferretur, accidat autem, vt vacet sacerdotalis; conferri non posse vi eius rescripti, si *nunc*, id est, tempore vacationis impetrans ætatem legitimam assecutus non sit; posse autem, si tunc assecutus sit. Itaque ait Glossa: *inspicimus non tempus datæ siue vacationis beneficii*, in quo gratiæ beneficiæ executio fit. Resp. cum Abbate & Felin. cit. locis; In cap. illo *Ei cui*, nullam obreptionem contigisse; Igitur aliam regulam ex eo colligi; Videt. Cessante obreptione, si agatur de gratia, cuius effectus pendens & executioni mandatus non est, spectandum esse tempus non concessiois, seu impetrationis, sed executionis.

Ex quo colligit Abb. loco supra cit. Dominic. & Francus hic n. 5. Si Papa motu proprio mandasset iuxta tenorem huius c. videt. vt Titio beneficium proximè vacaturum cum cura, vel sine cura, prouideatur, posse prouideri curatum, etsi tempore impetrationis ætatem requisitam ad curatum non habuerit, dummodo eo tempore habeat, cum vacat curatum. Ratio est; quia motus proprius tollit obreptionem, c. si motus, 23. vbi omnes DD. de præb. in 6.

Dicit quispiam: Motus proprius tamen si obreptionem tollat, non tamen tollit inca-

pacitatem, seu inhabilitatem personæ; nisi quid addatur, ex quo colligi possit, Papam dispensare, seu impedimentum tollere velle, vt docet Gl. recepta in Clem. Si Romanus 4. ver. validam, de præb. & alia Gl. in cit. c. si motu, ver. ob hoc; vbi exempla ponuntur, de defectu natalium, vel ætatis, vitio corporis, bigamia, & similibus; quæ licet per viam subreptionis parti opponi non possint, opponuntur tamen per viam iuris communis; cum proprius motus talium dispensationem non faciat. Resp. nullam esse hinc difficultatem: Vera enim hæc sunt, si adsit incapacitas ex parte recipientis gratiam; vt si Papa puero conferat beneficium curatum; cum tamen nullum indicium appareat voluisse dispensare. Hic autem nulla adest incapacitas ex parte recipientis gratiam; cum secundum ius, certa ætas, videt. 24. annorum completorum, non requiratur ad acquirendam gratiam pro beneficio curato vacaturo; sed vt eam ætatem habeat clericus, cum ei tale beneficium conferatur.

NOTANDVM II. Rescriptum beneficiale, quod secundum vnâ partem obreptitium & irritum est, secundum alteram partem, non connexam, sed separabilem, consistere potest. Quia vtile per inutile vitari non debet, reg. 37. in 6. Sumitur apertè ex hoc c. ibi, *Beneficium autem sine cura*, & tradit Gl. communiter hic recepta, in fin. notando, Felin. allegato hoc c. in c. Sedes n. 2. hoc tit. Nauarr. consil. 8. n. 3. hoc tit. Gaill. lib. 1. obs. 66. n. 11.

CAPITVLVM X. Si propter.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. Episcopo cuidam speciali gratia concessit, vt ad dissolutionem debitorum ecclesiæ suæ omnium beneficiorum vacantium in diocesi primos fratres ad quinquennium percipere possit, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, priuilegijs, vel statutis, per quæ gratia ista impediri posset. Sed quia

V ; liquo-

liquorum beneficiorum fructus primi anni speciali consuetudine, priuilegio, vel statuto debebantur ecclesie Cathedralis fabricae, vel alteri vsui, vel alicui personae singulari, dubitatum fuit, quid de his fructibus faciendum esset. Resp. Papa, intentionem suam non esse, nouam illam concessionem specialibus antea factis primorum fructuum applicationibus prauiudicium afferre, nisi id expressum fuerit,

SUMMARIUM.

1. In generali concessione primorum fructuum Episcopo facta non comprehenduntur ij, qui antehac fabricae, alterius pio vsui, aut personae debebantur.
2. Fructus hi seu redditus primi anni, quae & annata vocantur, in vacantibus beneficijs iure designari possunt, & alteri pio vsui aut personae applicari non tantum a Papa, sed etiam ab inferioribus Ordinarijs, qui tamen applicare non possunt eas sine mensura.
3. Si Episcopo Pontifex fructus omnium in diocesi vacantium beneficiorum concedat, ea generalitate comprehenduntur etiam dignitates & g. Praepositura, Decanatus &c.
4. Non autem beneficia, & Pralatura exempta.

HVIUS c. responsum non vno modo intelligitur: Aliqui volunt, mentem Pontificis Bonif. VIII. fuisse, ut fructus primi anni ex vacantibus beneficijs darentur ecclesiae fabricae, aut personae illi, cui antehac dari debebant: at verò fructus anni secundi, ex speciali Pontificia concessione, Episcopo obuenirent. Ita significat Ioan. Monachus in c. cum aliquibus, ibid. Probus hoc tit. & lib. & alij, quos refert Gl. final. hic: Quia clausula *Non obstantibus* non tollit obstacula temporalia: (quod enim differitur, non aufertur) sed quae gratiae extinctionem operari possent. Alij verò, vt Gl. cit. Ioann. Andr. & alij multi dicunt, fructus primi anni Episcopo deberi ex Papali hac concessione: fructus autem secundi anni ec-

clesiae fabricae, vel alteri vsui, iuxta consuetudinem, statutum, &c.

Sed neutra expositio textui congruere videtur: Et cum reseruaciones primorum fructuum cedant in prauiudicium ac damnum beneficiariorum, prout videre licet in extrauag. Ioannis XXII. Papae *Suscepti*, inter communes, Ne Sede vacante aliquid innouetur; ideo credibile non est, nomine primorum fructuum, etiam secundi anni fructus hic comprehensos fuisse: cum id magna & exorbitans extensio esset.

Placet itaque intellectus, quem rubrica c. indicat, & tradidit hic Archidiaconus, Petr. Ancharanus; explicant & declarant hic Anton. n. 5. & seqq. Francus n. 12. Quod in generali concessione primorum fructuum Episcopo facta, comprehendere non debent ij fructus, qui antehac fabricae, alterius pio vsui, aut personae debebantur: Propterea, quod Papa non censetur vni gratiam facere, cum alterius damno & prauiudicio: Cùm notum sit, quod priuilegium speciale deroget priuilegio generali, praesertim subsequenti, c. 1. hoc tit. in antiq. vbi id docui not. 3. dicto 4. & pertinet huc iuris reg. 81. in 6. In generali concessione non veniunt ea, quae quis verisimiliter non esset in specie concessurus.

Neque iuuat causam Episcopi clausula *Non obstantibus*, posita in textu; quia ea intelligi debet secundum limites concessionis; videl. vt eorum beneficiorum vacantium fructus primos, qui ex voluntate Pontificis Episcopo obuenire debent, nulla consuetudo, priuilegium aut statutum (si quod sit v. g. vt fructus omnes sine diminutione ad successorem in beneficio perueniant) impedire possit. Voluntas autem Pontificis alia non fuit, neque rationabiliter esse potuit, nisi eorum omnium beneficiorum vacantium, quae antea simili onere erga alteram causam, aut personam grauata non erant, fructus ad quinquennium Episcopo, ad solvenda debita, concedere.

NOTANDUM I. Priuilegium siue gratia generalis non derogat priori gratiae seu priuilegio speciali: sed potius ab ea limita-

tur, seu derogatur, iuxta regul. 81. ff. *In toto iure generi per speciem derogatur.*

NOTANDUM II. Fructus seu redditus primi anni, quæ & annata dici solent, legitimâ auctoritate designari possunt in vacantibus beneficijs ecclesiasticis, vt summo Pontifici, Episcopo, ecclesiæ fabricæ, vel alteri pio vsui, ob rationabilem causam, applicentur. Et fieri solet hæc fructuum demendorum designatio ante beneficiorum collationem, ita vt affecta iam hoc onere ad instituendos beneficiarios perueniant, prout annotauit Thom. Campegius de annatarum institutione, n. 11.

QVÆSTIO prima: Cuius auctoritate annata seu beneficiorum primi fructus designari, & alteri pio vsui aut personæ applicari possint? Respondeo, De Rom. Pontifice non posse esse dubium, prout constat etiam ex hoc c. sed & inferiores Ordinarios, videlicet Episcopos, ex iusta & rationabili causa, beneficijs annatas imponere posse, docent DD. hic in Gl. margin. Campeg. cit. loco. n. 6. Ioann. Andr. hic n. 5. vbi resoluit, quod Episcopus cum Capitulo, statutum facere possit de certa parte fructuum primi anni ex beneficijs in diocesi vacantibus applicanda ad fabricam ecclesiæ cathedralis, si eius reparandæ necessitas sit. Non potest autem Episcopus, etiam cum Capituli consensu, statuere, vt primi anni proventus suæ mensæ applicentur, quia auctoritatem præstaret in proprio factò, seu proprium commodum, Clem. 2. de rebus ecclesiæ non alienand. Quare hoc in casu Pontifici auctoritate opus est, prout etiam in hoc c. apparet.

Videri possunt, quæ de annatis scripsi Theol. moral. lib. 4. tr. 10. cap. vlt. §. 5. n. 46. Quod adhuc hodie in quibusdam Germaniæ ecclesijs vigeant, & quidem ita, vt Episcopo primi fructus, seu potius eorum pars moderata reseruetur. Neque satis constat, num per Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 14. de reform. huiusmodi primorum fructuum ex vacantibus beneficijs subtrahit simpliciter prohibita sit; an verò duntaxat, ne ita accipiantur, vt simoniæ speciem

gerat, pro collatione aut institutione capiantur.

QVÆSTIO secunda: Si Pontifex, iuxta casum huius c. omnium in diocesi vacantium beneficiorum fructus Episcopo concedat, num eâ generalitate comprehendantur etiam dignitates, v. g. Præpositura, Decanatus; & num etiam beneficia & Prælaturæ exemptæ? Ad primum, videri posset negatiuè esse respondendum; Quia in materia odiosa, adeoque strictæ interpretationis, nomine communi beneficiorum non veniunt dignitates: hæc autem annatarum concessio odiosa esse videtur; cum sit contra primæuam beneficiorum institutionem; atque deroget iuri instituendorum beneficiorum, quibus integri proventus obuenire deberent, iuxta tit. lib. 3. decret. vt beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur. Nihilominus affirmatiuam partem rectè hic tenent Ioan. Monach. & Ioan. Andr. & sumitur apertè ex c. penult. de verbor. signif. Ratio dari debet: Quia hæc concessio siue indulgentia potius fauorabilis, quam odiosa censeri debet, prout hic Gl. indicat, ver. primi anni, & tradit Francus hic n. 6. Domin. n. 9. Idque partim spectatâ intentione Pontificis, iuxta regulam, quam iidem DD. tradunt, Couarr. lib. 1. resol. cap. 11. n. 5. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 1. n. 4. In dispositionibus, quæ vnâ ratione odium siue onus, alterâ fauorem continere videntur, principalem disponentis intentionem considerandam esse; dummodò ita res constituta sit, vt odium à fauore separari non possit: At verò si separari queant, tum eâ parte, quæ dispositio fauorabilis est, latè explicari, quæ verò odiosa, strictæ interpretationis esse debet, prout cit. locis Couarr. Sanchez declarant: Cum itaque intentio Papæ præcipua fuerit fauorem Episcopo præstare, vt à debitis, quibus Episcopatus grauatus erat, liberaretur; nec possit fauor iste separari ab onere, seu derogatione iuris, qua de obiectio fuit, ideo dicendum, concessionem hanc latè explicandam esse: Partim verò, spectatâ materiâ concessionis, hoc ipsum dici conuenit: Cum sit facta Episcopo, tanquam patri

com-

comparatione aliorum beneficiariorum di-
cessis; quibus, vt filijs, incumbit prouidere
Episcopo, si indigeat: eaque ipsa prouiso,
siue subsidium in honorem ipsorum quoque
deriuatur. Quare licet, absolute loquendo,
onus quoddam eorundem sit, tamen chari-
tas subleuat, vt non æstimetur: Deinde si alij
inferiores beneficiarij onus sustineant, vt
primi anni fructibus, aut aliquâ eorum por-
tione careant, multo id magis sustinere de-
cet Præpositum, Decanum, & Canonicos;
quippe qui in maiore gradu constituti, Epis-
copo suo propinquiores, magisque con-
iuncti sunt.

Ad alterum membrum questionis, affir-
matiuè respondet Ioan. Andr. hic n. 1. Petr.
Ancharan. not. 3. Tametsi enim beneficia
à iurisdictione Episcopi exempta sint, tamè
in diocesi eius existunt. Sed contrarium
magis placet, quod hic Archidiaconus & alij
ab Anton. de Butrio n. 20. allegati docue-
runt.

Nam beneficia hoc ipso quòd à iurisdic-
tione & curâ Episcopi exempta sunt, cum
ipso communionem non habent, ideòq; nec
obligationem erga ipsum suscipiunt, præ-
terquam in casibus specificè expressis. Con-
firmatur: Exemptio est veluti speciale pri-
uilegium: Et idèo per generalem concessio-
nem ei derogatum censetur, argum. huius c.
& l. decurionibus 3. C. de silentarijs lib. 12.
iuncta Gl. Ad argum. pro parte affirmati-
ua resp. Beneficia exempta, cum administra-
tioni episcopali subiecta non sint, non cen-
feri esse de diocesi saltem generali ap-
pellatione beneficiariorum diocesis, in oneri-
bus seu præstationibus non comprehendi.

CAPITVLVM XI.

Statutum.

PARAPHRASIS.

Circa modum rescriptorum Apostolicorum
ad lites aliter hic statuit Pontifex Boni-
facius, quàm antea tum ab ipso, tum ab
alijs Pontificibus statutum erat. Et pri-

mò decernit, vt controuersie auctori-
te Sedis Apostolicæ, vel legatorum eius,
alijs non delegentur, quàm ecclesiasticam
dignitatem, vel personatum obtinentibus,
aut Cathedralis ecclesiæ Canonicis. De-
inde vt hæc causæ alibi non cognoscantur,
quàm in ciuitatibus & locis insignibus,
vbi copia peritorum haberi possit.

S V M M A R I V M.

1. *Causa ab Apostolica Sede, vel eius legatis committi debent dignitatem ecclesiasticam aut personatum gerentibus, & Cathedralium ecclesiarum Canonicis.*
2. *Dignitatem habet, & delegationis capaces sunt, qui à præminencia, quam cum ecclesiastica iurisdictione gerunt, amouibiles sunt.*
3. *Hinc delegati Papa esse possunt Vicarius Episcopi generalis seu Officialis principalis, & si duo sint Officialis aq; principales, & tunc delegari potest.*
4. *Priores, qui toti Conuentui cum iurisdictione præsent, possunt esse delegati Papa; non autem Guardiani Ordinis Minorum; nec Superiores Societatis JESU sine Præpositi Generalis licentia.*
5. *Beneficium & dignitas habet se vt excedens & excessum. Vicarius enim generalis dignitas est, non beneficium, idem est de Cancellariatu in Academia à Sede Apostolica approbata; & Superioratus Ordinum Mendicantium.*
6. *Commissio alicui facta ratione officij vel dignitatis quam postea resignauit, non ab ipso sed eius successore expediri decet; secus est, si commissio facta sit persona.*
7. *Canonicus, ad quem literæ Papales directæ sunt, ingrediens religionem, potest eas exequi.*
8. *Professi ecclesiæ Cathedralis regularis possunt esse Papa delegati, aut Legati; vt vniuersim omnes Canonici, etiam qui præbendam non habent.*
9. *Altere*

9. Actor & reo in eadem ciuitate aut diocesi existentibus, causa committi non potest extra ciuitatem aut diocesim, nisi in casibus hic nominatis.
10. Actor contra reum diuersa ciuitatis aut diocesis debet impetrare delegatum vel in ciuitate aut diocesi rei, vel in alia non propria, nec ultra unam dietam existente.
11. Delegatus extra locum commissionis nil agere potest, nisi de consensu partium expresso; neq; alteri causam subdelegare, nisi in eum locum, & personis requisitam qualitatem habentibus.
12. Delegatus Apostolicus ad lites nullum munus a partibus accipere debet, nisi sit esulentum aut poculentum ex mera liberalitate oblatum, quod intra paucos dies absumi possit.
13. Alioquin acceptum restituere debet.
14. Et hoc etiam intelligendum est de aliis commissariis, quibus v.g. dispensationes super votis, aut matrimonij impedimentis committuntur.
15. Ei incumbit sumptus prestare, cuius gratia alius exercetur.
16. Delegatus non debet assumere assessorem, nisi eo in consensu indigeat, qui neutri parti sit suspectus, & huic salarium partes soluent, quod tamen, vti & Notariorum, delegatus iudex moderabitur, nec cum ijs, aut cum assessore lucrum participabit.
- Qui si aliquid aduersus hanc constitutionem acceperit, ad integram restitutionem tenebitur, non profutura ipsi remissione ab ijs facta, quibus restitutio fieri debet.
17. Si quid Iudicis conscientia aut prudentia relinquitur, non est locus querelæ, aut appellationi; nec opus certâ causâ cognitione aut probatione: pars tamen officium iudicij implorare non prohibetur, vt compellat Commissarium ad id, quod conscientie eius commissum est, rationabiliter expediendum.
18. Inhabilitas comparandi dominij accepti maioris non est ad alios indices delega-

tos extendenda, quàm Papa & Legatorum eius.

19. Delegatus non debet vocare testes, nisi causâ status id requirat, & tunc producens expensas pro accessu, discessu, &c. soluere cogitur.

20. Quidquid contra hanc constitutionem actum fuerit, ipso iure irritum est.

NOTANDVM I. Expediit quandoque, vt leges anteriores, si Reipublicæ minùs commodas esse experientia doceat, mutentur, & aliæ constituantur. Ita hic, & in c. non debet 8. de conf. & affinit.

NOTANDVM II. Tametsi dignitas & personatus interdum pro eodem accipiantur, vti colligitur ex c. cum accessissent 8. de constit. interdum tamen distinguuntur, vt dignitas sit ecclesiastica præeminentia, iuncta eum iurisdictione fori externi: Personatus autem ecclesiastica præeminentia sine iurisdictione. Quæ de re dixi in mor. Theol. lib. 4. tr. 2. cap. 4. n. 4.

NOTANDVM III. Causæ, auctoritate Sedis Apostolicæ, aut Legatorum eius, aliis committi non possunt præter dignitatem ecclesiasticam aut personatum gerentes, & Cathedralium ecclesiarum Canonicos. Hoc est præcipuum huius c. constitutum, pro cuius intellectu, ante omnia, circa verbum *causæ* duo aduertenda sunt. Primum, cum Glossa ibid. quam interpretes ibi communiter approbant, & Imola in c. cum in iure, ibidem Abb. n. 2. de elect. fusè Nauarr. in c. cum contingat, nullit. 2. n. 4. & seqq. Sermonem hic esse duntaxat de commissionibus, quæ fiunt cum annexa iurisdictione: sic enim nomen causæ accipi solet, vt iurisdictionem inuoluat, prout colligitur ex c. super questionum 27. post princ. de off. delegat. Quare annotauit Nauarr. cit. loco distinguendum esse inter executores, qui deputari solent super gratiis Sedis Apostolicæ: Aut enim sunt executores meri, qui partes iudicis assumere non debent, sed executionem tantùm mandati facere, v.g. beneficium conferre, aut prouisum in possessionem mittere, nemine se opponente: Item ij, quibus articulus non iurisdic-

dictionalis, sed nudum ministerium, v. g. testium receptio committitur: hi non indigent ea qualitate, quæ in hoc c. postulatur. At verò executores gratiarum, qui partes iudicis assumere debent, iurisdictionemque obtinent, secundum Gl. receptam in Clem. vn. ver. executores, vbi ait, quod *executores ad providendum delegatam iurisdictionem habent*, in ijs requiruntur huius c. qualitates; Tametsi in commissione non contineantur verba iurisdictionis processum significantia, vid. *vocatis vocandis*, aut *contradictores compeſcēdo*, & c. quia talis clausula tacite intelligitur in negotiis causæ cognitionem requirentibus. Et hæc eadem sentiri debent de subexecutoribus, prout videre licet in Rot. Romana decif. 1. de off. deleg. in antiquis: *Executor datus in literis gratia non potest mandare subexecutori nisi sit persona habilis, de qua cauetur in c. statutum, de rescript. in 6. quod talis executor habeat potestatem cognoscendi, seu assumendi iudicis officium: Nudum autem ministerium simplici presbytero seu curato bene potest demandare, vt notat Archidiaconus in eo c. statutum, ver. causa.* Confirmatur ex c. cum in iure 5 2. de elect. vbi causa electionis faciendæ, adeoque extrajudicialis, commissâ est fratri cuidam Ordinis Prædicatorum: cum itaque in hoc difertè nihil fuerit mutatum, & iurium correctio vitanda sit, c. cum expediat 29. de elect. ideo in eodem iure antiquo persistendum, arg. l. præcipimus 3 2. Cod. de appellat.

Alterum. Statutum huius c. duntaxat locum habet in causis, quæ suapte natura coram ecclesiastico iudice tractari debent; Non item in ijs causis, in quibus etiam Iudex laicus, secundum canones, idoneus esse potest, videl. si Pontifex in causa criminali, aut civili, contra laicum sibi subditum, aut per viam appellationis contra alium, iudices deleget; Cum enim commissio hæc Iudici laico fieri possit, non minus poterit fieri clerico carenti qualitate hic requisita; excepta tamen sanguinis causa. Ita ex communiore annotauit Francus hic n. 12. post Ioann. Andr. in c. sua nobis 65. col. 1. de appellat.

2 QVÆSTIO prima: Vtrum ij dignitatem

gerere, & delegationis capaces censerentur, qui à præeminentia, quam cum ecclesiastica iurisdictione gerunt, nutu Superioris, amobiles sunt? Responſio est affirmatiua, prout videre licet in Clem. 2. hoc tit. Vbi in primis responſum est de principali Officiali Episcopi, quod à Sede Apostolica, vel Legato eius, dari possit delegatus; Is enim licet pro arbitrio Episcopi, aut sede vacante, Capituli eum constituentis, amoueri possit; tamen dum in officio est, ex episcopali iurisdictione ac tribunali, cui præest, præeminentiam ac dignitatem gerit, prout annotauit Gl. in cit. Clem. 2. ver. delegatus, Sbrozius de Vicar. generali lib. 1. q. 49.

Est autem hic aduertendum, eum qui in his aliis pluribus regionibus, appellari solet Vicarius generalis Episcopi, in Italia appellari Officialem principalem, sicuti Azor testatur tom. 2. lib. 3. cap. 13. q. 8. Quamobrem literæ Apostolicæ, saltem quæ ad vltromontanas regiones destinantur, Officiali inscribuntur. Quo verbo semper intelligi solet principalis Officialis, cui videl. iurisdictione episcopalis generatim, tam quoad causas, quam quoad loca diocesis commissâ sit, qui apud nos, vt paulò antè dixi, Vicarius in spiritualibus generalis appellari solet. Quod si verò in ecclesia aliqua, duo sint Officiales æquè principales, seu duo Vicarij generales concurrentes in ordinaria episcopali sibi commissâ iurisdictione, vtrique delegari potest, secundum Gl. marginal. receptam circa verb. Principalis, cit. Clem. 2. Sin autem ita sint plures Episcopi Officiales, siue Vicarij, vt vnus in temporalibus sit, alter in spiritualibus; vel vnus in certa diocesis parte, aut quoad certas causas, v. g. matrimoniales, decimales; alter verò generatim sit constitutus, tunc iste solus, tanquam principalis literas apostolicas, quæ Officiali inscribuntur, accipiet, vt constat ex prædicta Clem. 2. iun. Gl. ver. Principalis, & verb. foraneo, & videri potest Sbrozius lib. 2. q. 29. Garcias de benef. p. 5. cap. 8. n. 36. 120. Et colligitur ex hoc ipso c. quia Officialis in temporalibus ecclesiasticam iurisdictionem non gerit; Officialis autem in spiritualibus certis causis, adeoque non

non generalis, iurisdictionis quidem officium exercet: sed præminentiam, dignitatemque in ecclesia non obtinet, quare delegatum Sedis Apostolicæ esse non posse, certum est. Imò non desunt, qui cum Gl. in cit. Clem. ver. Officialis, arbitrantur, Vicarium generalem in spiritualibus delegatum dictæ Sedis Apostolicæ, aut Legati eius, esse non posse, nisi etiam sit Vicarius siue Officialis in temporalibus, vti videre licet apud Sbrozium lib. 1. q. 49. Id tamen verum non est, & ecclesiarum praxi repugnans.

4. Secundò in ead. Clem. responsum fuit de Priori Conventuali, qui Congregationi Regularium cum iurisdictione præest, tamen si is non per electionem constitutus sit, sed à superiore v.g. Abbate, aliòve Prælato, ad nutum eius amobilis, quòd delegatus esse possit, iuxta tenorem huius c. statutum; At verò Prior claustralis esse non possit. Ratio dari debet, quia Conventualis ille Prior dignitatem ecclesiasticam gerit, cum habeat præminentiam cum iurisdictione iunctam super certo collegij corpore, seu congregatione Regularium: Iste autem, claustralis inquam Prior, Abbati in eadem congregatione seu corpore ecclesiæ subiectus, non dignitatem, sed sollicitudinem potiùs gerere censetur, vti notauit Capra in ead. Clem. 2. n. 7. Abb. Parnorm. in c. nisi essent n. 6. de præbendis.

Exinde inferunt Doctores, Dominicus de S. Gemin. in cap. nullus n. 6. de elect. in 6. Francus hic n. 4. Aug. in summa ver. delegatus n. 3. Syl. V. eod. q. 2. n. 3. & alij cõmuniter, quòd Guardiani Ordinis Minorum possint esse delegati Sedis Apostolicæ & Legatorum, eò quod dignitatem ecclesiasticam habeant. Sed Sanchez lib. 6. moral. cap. 13. n. 81. propter ea quæ tradit Rodriq. tom. 1. reg. qq. q. 65. a. 3. annotat, id PP. Guardianis non licere, propter peculiarem Ordinis constitutionem, eiusmodi iurisdictiones delegatas, iunctas cum Litigio, bonorum temporalium inter partes distributione &c. ad conferuandam instituti puritatem, animorumque quietem, ipsis prohibentem. At verò à Superioribus Societatis nostræ, talia sine Præpositi Generalis licentia, suscipi non posse, constat ex

Constitut. eiusdem Societ. p. 6. c. 3. §. 7. & tradit Sanchez eod. cap. 13. n. 67. & 82.

Corollarium. Beneficium & dignitas habent se vt excedens & excessum; ad eum modum proportionalem, sicut animal & album, non enim omne, sed quoddam animal album est; & non omne, sed quoddam album animal est: Ita etiam quædam, non omnia beneficia dignitates sunt; & vice versa, quædam, non omnes dignitates beneficia sunt. Quod postremum declarari debet: Nam primò, vicariatus generalis dignitas ecclesiastica est, sed non beneficium, sicut bene docet Azor cit. cap. 13. q. 8. Ratio dari debet, quia officium, & dignitas ea potiùs radicatur in principali, videl. Episcopo ipsi autem Vicario quodammodo cessã est: Ex quo fit, vt mortuo aut deposito Episcopo, expiret vicariatus. Mortuo autè, vel amoto Vicario, vicariatus propriè non vacet; cum tamen omnia beneficia, etiam manualia & regulares obedientiæ vacent, prout annotauit Gl. in cit. Clem. 2. ver. per electionem, & constat ex Clem. vn. de suppl. negl. Prælatorum, in princ. Secundò, Cancellarius in Vniuersitate studiorum à Romano Pontifice approbata, dignitatem seu personatum habet, videl. præminentiam ecclesiasticam; tamen ea cum iurisdictione iuncta non sit: nam ad Cancellarij officium non requiritur iurisdictione, sed potestas ad gradus & honores academicos, qui idonei sunt, conferendos: Eapropter literarum apostolicarum delegatus esse potest, vti testatur Azor cit. cap. 13. q. 9. Et tamen Cancellariatus ecclesiasticum beneficium dici non potest. Tertiò Superiores Ordinum Mendicantium, iurisdictione præditi super congregationem, seu corpus aliquod ecclesiæ Regularium, Prælati sunt, ac dignitatem obtinent, vt supra dixi: Et tamen beneficium ecclesiasticum non habent, prout idem Azor annotauit q. 7. Quod maximè verum est in ijs Ordinibus Mendicantium, qui iuxta primam institutionem suam, redditus stabiles non habent. In Collegijs autem Societatis nostræ sunt quidem, ex primæ uae eorum institutione ac fundatione, redditus stabiles; sed cum eorundem administratio principaliter

non ad ipsos Scholasticos, aut Rectorem eorum, sed ad Societatem Professam, & quoad exercitium & usum, ad Præpositum Generalem pertineant, ideo in dictis Collegijs, ecclesiasticis beneficijs nullus locus esse potest. Videri possunt quæ docui in Censuris astri inext. p. 2. cens. 14. fol. 105. & seqq.

QVÆSTIO secunda; Si quis tempore delegationis dignitatem habuit, vel canonicatum cathedrali, non item tempore præsentationis, vtrum idoneus sit ad exequendas literas Papales? Respondeo. Si commissio facta est alicui ratione officij, aut dignitatis suæ, quam postea resignauit, non ipse, sed successor in officio & dignitate expedire debet; secus, si commissio facta sit personæ, vti colligitur ex c. quoniam 14. vbi de hac re agendum, de offic. delegati. Ecclesiæ autem Cathedralis Canonico si fiat delegatio, semper censetur facta personæ; cum is propriè successorem non habeat, secundum Glos. receptam in c. quod sicut, 28. ver. consentire, in fine, de elect. Atque ita docet Gl. hic ver. canonicis, Domin. & Francus n. 9. Baldus in l. generaliter, C. de Episc. & Cler. vbi benelimitat ex l. 2. ff. de Senatoribus; Nisi quis ob crimen remotus, seu depositus sit, ita vt infamiam contraxerit.

QVÆSTIO tertia; Si Canonicus, ad quem literæ Papales directæ sunt, Religionem ingrediarur, vtrum eas exequi possit? Affirmandum est, cum Anton. hic n. 14. Franco n. 8. Quia status Religionis superueniens non efficit eum incapacem, dummodò Prælati licentia accedat: Et iam supra dictum, capacitem delegati considerari secundum tempus factæ delegationis, quemadmodum & in delegante idem tempus attendendum est, argum. reg. 73. in 6. & tradit specul. p. 1. in tit. 1. §. fin. n. 22. v. Quid si causa, Francus hic n. 8. Rota Rom. tit. §. de rescript. in antiquis decis. 27. aliàs 122.

QVÆSTIO quarta: Vtrum Professi alicuius ecclesiæ Cathedralis regularis, possint esse delegati Romani Pontificis, aut Legati eius? Negat hic Ioann. Andr. post princ. Domin. q. 2. Francus n. 5. dicens, saltè exceptioni contra eos locum esse. Sed contraria senten-

tia videtur probabilior, quæ est Abb. in c. causam n. 9. de iudicijs, Sanchez in cit. lib. 6. cap. 13. n. 83. Cum & ipsi sint canonici Cathedralis: nec status Religionis repugnet, quandoquidem etiam Abbates, & Priores conuētuales, qui veri Religiosi sunt, eiusmodi literas & delegationes suscipere possunt, vti constat ex cit. Clem. 2. & supra explicatum.

QVÆSTIO quinta; An eiusdem Sedis, & Legatus eius, & delegatus esse possit Canonicus, qui præbendam non habet? Affirmandum est, cum Ioann. Andr. & Anton. hic num. 3. & aliis communiter; Idque non tantum, si secum sit de Canonico ecclesiæ Cathedralis regulari, sed etiam de seculari; quia præbenda canonicum non facit, sed ius spiritualis officij, & sumitur ex cap. Si is cui 39. de præbend. in 6. iun. Gl. in notandis; Vbi habetur, si in ecclesia statutum sit, vt dignitas non conferatur nisi canonico; sufficere, si quis canonicum habeat, etsi non præbendam; secus, si in statuto expressè dicatur, vt canonico præbendato conferatur.

His addendum, quod in Concil. Trident. 25. cap. 10. de reform. præceptum sit, vt in qualibet diocesi quatuor probati viri constituantur, qui eas habeant qualitates, quæ in hac Bonifac. VIII. constitutione requiruntur; vt his præter locorum Ordinarios causæ ecclesiasticæ, seu ad forum ecclesiasticum pertinentes, à Romano Pontifice, aut Legato seu Nuncio eius, delegari queant. Interim tamen nihil obstat, quò minus Pontifex etiam alteri clerico, aut non habenti qualitatem communi iure requisitam, ex certa scientia committere possit, prout hic admonet Gl. ver. literarum.

§. Cùm verò.

Si actor & reus eiusdem ciuitatis, aut diocesis sint, causa committi non potest extra ciuitatem, aut diocesim; præterquam in casibus hic nominatis; videlicet si actio ab Episcopo, vel Capitulo cõtra aliquem de diocesi; vel vice versa, ab aliquo de diocesi cõtra Episcopum aut Capitulum; vel contra vniuersitatem ciuitatis, villæ, aut castri dirigenda sit; Vel deniq; si actor ciuitatè, aut diocesim, in qua

In quâ iudicium agitandum est, ob iustum periculum, intrare non audeat. His in casibus extra ciuitatem & diœcesim commissio fieri potest: ita tamen, vt ultra vnam dietam à sine diœcesis, suæ nemo trahatur. Cæterum in dicto casu itelli timoris, qui & in literis commissionis exprimi debet, necessarium est, vt qui eas ad iudicem extra ciuitatem, aut diœcesim impetrauit, ipsi de periculo, saltem per proprium iuramentum, fidem faciat.

Pertinet huc etiam, quod in Clem. 1. hoc tit. decretum est. Si actor eiusdem cum reo ciuitatis, aut diœcesis subditus sit alteri in alia ciuitate aut diœcesi existenti, qui & ipse ius agendi habeat; non posse in hoc casu reum trahi extra ciuitatem aut diœcesim suam. Exempli causâ; Si Prior Conuentualis subditus Abbati existenti in alia ciuitate aut diœcesi, controuersiam habeat cum colono degenti in ciuitate, aut diœcesi, in qua Prioratus existit, conuoniri debet in eadem ciuitate aut diœcesi; nec trahi potest per literas Apostolicas ad litigandum in ciuitate aut diœcesi Abbatis, aut Prælati maioris, cui Prior aliûsue Administrator subditus est; Tametsi controuersia sit super fundo pertinente ad mensam Abbatis.

§. Cùm autem.

10 Si actore & reo diuersarum ciuitatum aut diœcesum existentibus, actor in ciuitate, aut diœcesi eiusdē rei Iudici causam delegari nolit, tum iudicem non quidem in sua, sed in alia ciuitate, aut diœcesi liberè impetrare potest: dummodo locus, ad quem reus trahendus est, ultra vnam dietam ab eiusdem rei diœcesi remotus non sit.

§. Cùm autem.

11 Iudex delegatus in alia ciuitate, aut diœcesi, nisi ad quam deputatus est, nec partes citare, nec de causa cognoscere potest: præterquam si partium consensus expressus accedat. Sed neque alteri causam subdelegare potest, nisi in eum locum; & non nisi personæ suprâ requisitam qualitatem habenti. Videri possunt Glossæ hęc.

§. Insuper.

Iudicium cum omni puritate coram delegato procedat: eapropter nullum munus, aut quidquid aliud à partibus litigantibus accipiat, nisi sit esculentum aut poculentum, ex mera liberalitate oblatum, quod intra paucos dies assumi possit: Excipitur verò, si delegatus extra domicilium suum ad causam cognoscendam proficisci, necessarium sit: tum expensas itineris moderatas, æqualiter à partibus, quippe quarum commune negotium geritur, accipere non prohibetur; nisi personæ litigantes notabiliter pauperes sint. Explicat hunc textum Lud. Mol. tr. 2. de iustit. disp. 84. n. 1.

NOTANDVM I. Iudex delegatus non potest à partibus litigantibus munus aliquod accipere; Alioquin acceptum restituere debet, vt infra dicitur in §. Si quid autem.

QUESTIO autem est; Num consuetudo, quam in quibusdam diœcesibus vigere testantur, vt Officialis scutum aureum v. g. accipiat pro labore in audiendis testibus ad verificanda narrata, quos partes producunt, repugnet decreto, vt nullum munus recipiatur? Quam quæstionem in his terminis proposuit Nauarr. in consil. vlt. hoc tit. edit. 2. circa commissiones in dispensando: quandoquidem etiam in ijs, secundum Roman. Curie stylum, apponitur præceptum: vt *depositâ spe cuiuscunque muneris, aut præmij, etiam sponte obluti*, informatio capiatur &c. Atfirmat Nauarr. cit. loco, propter generalitatem verbi, *cuiuscung, muneris*; sumpto etiam argumento ex hoc §. iun. Glossis. At verò Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 35. n. 10. ait, viros doctos à se consultos, quos & ipse sequitur, arbitrari, idlicitum esse, non obstante hoc statuto, aut dictâ prohibitione; propterea, quod impensi laboris stipendium muneris aut præmij rationem non habeat. Mihi tamen magis placet Nauarri doctrina, eam scuti aurei v. g. acceptionem esse contra decretum; quippe quo omne munus prohibetur, & clarè in hoc cap. exprimitur, *nullum munus, vel quicquid aliud*: Et negari debet, quod in compensationem impensi la-

boris petitur, aut accipitur, muneris rationem non habere; cum notum sit, id quod comparatione aliorum laborantium merces appellatur, comparatione Iudices, Aduocati, &c. honestiore vocabulo, *munus* vel *honorarium* dici, ut colligitur ex cap. 15. Matthæi vers. 5. & docui lib. 4. Theol. mor. tract. vlt. cap. vlt. n. 25. Confirmatur ex eo, quod mens Pontificis committentis sit, ut commissarius gratis exequatur, prout aperte hic dicitur, *gratis & cum omni puritate*: Non autem gratis fit, si in laboris compensationem, quippiam accipitur.

14 Porro: quæ hæc specialiter de Iudice delegato ad lites decernuntur; ut quod esculenta & poculenta, liberaliter oblata, accipere ei liceat; & si præter hæc, aliquid aliud accipiat, eius dominium non acquirat, sed restituere cogatur, non obstante quavis remissione, infra §. Si quid autem, ea transferri non debent ad alios commissarios, quibus v.g. dispensationes super votis, aut matrimonij impedimentis committuntur. Videri possunt quæ dixi Theol. moral. lib. 4. tract. 4. c. 4. n. 10.

15 NOTANDVM II. Ei incumbit sumptus præstare, cuius gratiã actus exercetur, l. sed et si 11. §. Quo autem loco, ubi legi potest Bartol. ff. Ad exhibendum, & l. quoniam 10. C. de testibus, & infra in hoc c. §. Proferendo, quibus in locis dicitur, sumptus testibus illum præstare oportere, qui eos producit. Quare & hæc rectè dictum, cum Iudex causam vtrique parti communem cognoscat, ideo sumptus itineris communiter & æqualiter esse præstandos. Videri potest Andr. Gaill lib. 1. obseru. 99. Zasius super l. Prætor ait, §. Is etiam, ff. de edendo; ubi ait, *quod Iudex ex officio facit, non ad partis instantiam, veriusque partis sumptibus expediri, ut cum petat consilia Doctorum.*

§. Assessorem, §. Notarium, §. Si quid autem.

Delegatus assessorem sibi assumere non debet, nisi eo indigeat, quod conscientie illius committitur. Alioquin, si sine necessita-

te assumat, ex proprijs ei Iudex providere cogitur. Quòd si assessore indiget, talem adhibeat, qui neutri parti suspectus sit. Huic verò salarium competens, prout Iudex moderabitur, partes, quantum negotium commune est, dare debent. Notarium porro aut notarios, ad subibendum assumptos, cum genus istud nonnumquam in exigendo salario plerumque rationis metas excedat, iudex delegatus prudenter refrænet; neque vllatenus cum ijs, aut cum assessore lucrum participet. Quòd si delegatus aduersus hanc constitutionem quippiam acceperit, ad integram restitutionem teneatur; non profutura ipsi remissione ab ijs facta, quibus restitutio fieri debet. Videri etiam possunt, quæ dicuntur in c. cum in omni, 10. de vita & honest. clericorum.

Circa verba illa §. assessorem, quòd conscientia relinquatur, admonet Gl. ibid. si quid Iudicis conscientie relinquatur, non esse locum querelæ, aut appellationi. Idque verum est, quòd parti non competat eiusmodi remedium per viam iustitiæ; attamen officium Superioris implorare non prohibetur, ut compellat commissarium ad id rationabiliter expediendum, quòd conscientie eius commissum est, quia conscientia rationalis esse debet, non scrupulosa, argum. c. per tuas 35. de simon. Et ita cum Domin. tradit Francus hic n. 6. & Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 10. q. 3. Videri etiam potest Gl. in Clem. 1. de iure patronat. circa verba, *Ipsorumq; Episcoporum conscientias oneramus.* videl. circa portiones Vicarij parochiarum competentes designandas, ubi iam tradita doctrina clarè proponitur.

Deinde ex eadem Gl. huius §. ver. relinquatur, pluribus allegatis tradit Francus hic n. 6. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 8. n. 4. Si quid alicuius conscientie, aut iudicio relinquatur, opus non esse certæ causæ cognitione, aut probatione, sed sufficere, vnde cuncte is informationem, seu cognitionem rei consecutus sit, cuius arbitrium ipsi commissum est; dummodò de alterius præiudicio non agatur. Exempla sunt, si denunciations trinæ ante matrimonij celebrationem

nem remittendæ videantur, Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrimonij. Aut si ex commissione Sedis Apostolicæ, super impedimento matrimonij contrahendi dispensandum; dummodo *scandalum, infamia, vel alia rationabilis causa ira postulare videatur*: Hac in re plurimum momenti habere debet ipsius commissarij seu delegati iudicium; tamen si fortasse producti testes, isque qui eorum depositiones concepit, minus aptè causas explicarit: quandoquidem commissio talibus verbis fieri solet, apud Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 35. n. 1. *Te diligenter super præmissis informes, & si per informationem eandem, preces veritate nisi repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tunc &c.* Apostolicâ auctoritate dispenses.

Circa §. Si quid autem, quærit Gl. ver. remissione; Si Iudex parti litiganti, à qua munus accepit, re ipsâ restituerit, num postea de nouo illud Iudici à parte liberaliter donari possit? Affirmat probabiliter Gl. quâ sequitur Molin. cit. disp. 84. n. 14. dummodo nihil in fraudem fiat, & is, cui donatum, defierit tunc esse iudex delegatus donantis. Quia aliud est restitutionem accepti muneris remittere, quod hic prohibetur; aliud verò rem in effectu restitutam, denuò donare: In odiosis verò, seu pœnalibus non debet fieri extensio de casu in casum. Quam ipsam ob causam Gl. in §. Insuper, ver. moderatas, & Mol. cit. disp. n. 16. bene admonent; hanc ipsam pœnam seu inhabilitatem comparandi dominij accepti muneris, extra casum, de quo c. loquitur, delegatorum Roman. Pontificis, & Legatorum eius, extendendam non esse ad alios iudices delegatos.

§. Pro ferendo.

19 Delegatus testes vocare non debet, nisi conditio & status causæ postulet. Tum verò is, qui testes produxit, competentes expensas pro veniendo, commorando, redeundo, illis ministrare cogitur.

Vide quæ suprâ dixi in hoc c. §. Insuper, not. 2.

§. fin.

Quidquid contra præsentem constitutionem actum fuerit, ipso iure irritum & inane est.

Bene hîc Glossa admonet, hoc esse nouum statutum: quia spectato priore iure, processus institutus non obseruatis quibusdam, quæ hîc præcipiuntur, validus erat, donec per exceptionem oppositam infirmaretur. Videri potest Suarez lib. 5. de legibus cap. 28. & 29.

CAPITVLVM XII.

Tibi qui.

PARAPHRASIS.

Caius à Sede Apostolica gratiam impetravit ad ecclesiam Biturensis; constituto ipsi executore, qui ipsum in Canonicum recipi faceret, & præbendam, si quæ vacaret, aut proximè vacaturam prouideret. Postea similem gratiam expectatiuam in eadem ecclesia à Pontifice Seius impetrauit, qui literis suis prius præsentatis, in Canonicum receptus fuit ante Caium, qui literas postea præsentauit. Inde dubium ortum est, vter horum in assuetudine præbendæ vacantis anteferendus sit? Respondet Bonif. VIII. Si præbendæ eo tempore, cum Caius prior literarum impetrator in Canonicum receptus est, Seio necdum collata fuit, dictum Caium præferendum esse: Sin autem collatio tunc facta, relinquenda est præbenda eidem Seio prouiso: Præterquam si executor intimauerit collatori mandatum de prouidendo ipsi Caio; seu vigore mandati interdixerit ei, ne conferret, præsertim si cum inhibitione collationis interpositum sit decretum, vt alteri facta collatio irrita sit: Idemque iuris esse debet, si in literis gratiæ Apostolicæ insertum fuerit, vt irritum & inane esset, quidquid contra eam attentaretur. Tunc enim non obstante, quòd ante receptionem Caij, priori literarum præsentatori

tatori Seio præbenda collata sit, eidem auferri, & Caio conferri debet: Dummodo Caio, priori impetranti, dolus aut notabilis negligentia obijci non possit.

SUMMARIUM.

1. *Impetrans gratiam expectatiuam post alium, si prius in Canonicum receptus est, in assentione præbende priori impetranti postponendus est, nisi dolus aut negligentia huic obijci possit.*
2. *Executores habent iurisdictionem delegatam.*

NOTANDUM I. Canonicatus distinguitur à præbenda, adeo, ut inter duos impetrantes gratiam expectatiuam, si posterior prius in Canonicum receptus est, in assentione præbende priori impetranti postponendus sit.

Limitari tamen id debet, sicuti in fine c. dicitur: Nisi dolus, aut notabilis negligentia ei obijci possit. Exempla eius rei affert Francus hic n. 8. Felin. in c. Capitulum n. 5. hoc tit. Si primus gratiæ impetrator sciens posteriori præbendam conferri, id fieri permittat; Vel si intra terminum à collatore, aut secundæ gratiæ constituto executore, sibi assignatum, prouideri sibi non faciat, seu colationem præbende acceptare culpabiliter intermittat.

Aduertendum hic obiter, decisioni huius c. non aduersari e. eum cui 7. de præb. in 6. ubi dicitur, eum qui canonicatum à Sede Apostolica assensus est, omnibus alijs præferendum esse, etiam illi, qui literas de simili gratia prius præsentauit, priusque receptas fuit. Nam textus ille loquitur de prouisione seu collatione canonicatus in forma *Dignum* à Papa facta, per quam ius in re, & quasi dominium canonicatus seu beneficii acquiritur: hic autem sermo est de gratia expectatiua, seu mandato prouidendi: *Longè autem diuersa sunt, conferre & mandare conferri, ait Gl. in cit. c. eum cui.*

NOTANDUM II. Executor à Papa constitutus ad expediendam gratiam beneficiale, habet iurisdictionem delegatam à Pa-

pa, uti ex hoc cap. colligitur, cum dicitur, quod possit inhibere collatori, decretum interponere, & contradictores quoslibet compefcere. Et ita annotauit Gl. hic ver. certo, & alia Gl. in Clem. 1. ver. executores de offic. delegati, & uideri potest Francus hic n. 4. ubi admonet, ex doctrina Lapi. & cit. Gl. huius c. quod executor deberet esse certus ac nominatus; quemadmodum & de iudice delegato dictum in c. ad hæc 10. hoc tit. in antiq.

CAPITVLVM XIII.

Si pro te.

PARAPHRASIS.

Titius impetrauit literas executorias ad Præpositum ecclesiæ Biturenfis, ut ipsi Canonicatum, & præbendam vacantem, uel proximè vacaturam, Apostolicâ auctoritate prouideret; si Episcopi & Capituli consensus accederet. Postea uero Sempronius ad eandem ecclesiam impetratâ gratiâ, in Canonicum receptus fuit: Hoc facto, cum deinde Episcopi & Capituli consensus accederet, etiam Titio priori literarum impetranti, canonicatus collatus est. Hoc in casu, si post utriusque receptionem, præbendam vacare contingat, dubitatum fuit, uter alteri anteposendus sit; Respondet Bonifacius VIII. Sempronium esse in præbenda eius assentione anteposendum.

SUMMARIUM.

1. *Si primo impetranti mandetur prouideri sub conditione, & secundus prius impetrans ante illius conditionem impletam obtineat Canonicatum, is in assentione præbende primo præferitur.*
2. *Quod si Episcopus mortuus esset, aut impeditus, quo minus assensum daret cum Capitulo in mandato requisitum ad Canonicatum Titio conferendum, executor cum solo Capituli consensu prouidere non potuit, nisi in mandato expressum fuisset, ut cum consilio Episcopi executor procederet.*

NOTAN-

NOTANDVM VN. Si vni mandetur pro-
videri sub conditione, postea alteri ab-
solutè, atque ante conditionem impletam, ca-
nonicatus posteriori impetranti conferatur,
is in assecutione præbendæ præponi debet
priori impetranti & posteriori recepto. Hæc
est summaria decisio huius c. Ratio dari de-
bet: Quia conditio de futuro contingenti
suspendit quamlibet dispositionem & manda-
tum, ita vt antè non purificetur, atque ef-
fectum suum consequatur, quàm ea euenerit,
l. potior 11. ff. Qui potiores in pignore: Vbi
in §. Si colonus similem huic casum legere li-
cet: Si quis instrumenta, quæ in fundum in-
galerit, pignoris loco obligarit; deinde verò,
antequam ea intulit, alteri eadem instrumen-
ta absolutè oppigneret; ius pignoris huius
posterioris potius ceteri debet, quippe quod
effectum prius consecutum est, quàm prius,
cuius appositæ conditio postea impleta fuit.
Sic & in casu huius c. gratia posteriori impe-
tranti facta absolutè, potior ceteri debet,
quàm facta priori sub conditione, donec ea
impleatur: Consequenter si vigore eius gra-
tiæ posterior impetrans, canonicatum conse-
quatur, antequam conditio impleta sit; in as-
secutione præbendæ, tanquam potiore iure
nixus, præferendus est.

Apparet itaque, decisionem huius c. eâ so-
lùm ratione niti, quòd primo impetranti fa-
cta sit gratia conditionalis: sin autem absolutè
facta esset, in assecutione præbendæ præfe-
rendus esset posteriori impetranti, tametsi is
canonicatum prius assecutus esset, iuxta c.
præcedens, prout præter alios annotauit Ca-
pella Tholos. q. 273. Addit Gl. in Clem. vn.
ver. executorem, de concess. præb. idem di-
cendum fore, si mandato de prouidendo ad-
iecta sit conditio, si impetrans idoneus est, aut
si consensum dederit. Quia talis conditio non
mutat naturam gratiæ. Quam doctrinam et-
iam refert, & commendat Auffrelius super
cit. q. 273. Francus hic n. 4. Ant. n. 11.

QUÆRIT hic Gl. ver. assensus; Quid si
Episcopus mortuus esset, aut impeditus, quo-
minùs assensum daret; vtrum executor, sal-
tem cum Canonicorum seu Capituli consen-
su, prouidere potuisset. Videri potest esse af-

firmandum ex c. vn. Ne Sede vacante, in 6.
Sed rectè negat Gl. Quia conditio eâ manda-
to appositæ, censetur forma eius, quâ non ob-
seruata, corrumpit mandatum, argum. c. cui de
non 27. de præb. in 6. Sed secùs dicendum, si
in mandato expressum esset, vt executor pro-
cederet cum consilio Episcopi, eo mortuo
aut impedito procedere posset, argum. c. cum
in veteri 31. de elect. Rationem dat Gl. cit.
quia actus necessario non pendet à consilio
personæ, quod aliquis requirere tenetur, sic-
uti pendet à consensu: quandoquidem con-
siliium, ordinariè loquendo, sequi aliquis non
tenetur. Quæ de re videri etiam potest Sua-
rez lib. 8. de legibus cap. 13. n. 6. & quæ di-
cam in cit. c. cum in iure.

CAPITVLVM XIV.

Duobus.

PARAPHRASIS.

Si duo à Sede Apostolica literas executorias
de præbenda ipsis in eadem ecclesia confe-
rèda afferant, nec appareat, vter eorù lite-
ras prius impetrarit, quis eorù in assecu-
tione præbendæ præferendus? Resp. Bo-
nifac. VIII. Papa: Si vni eorum ipse Pon-
tifex canonicatum contulit, alteri autem
non contulit, sed mandauit ab ordinario
collatore, conferri: hoc in casu is præferri
debet, cui à Pontifice collatio facta. Sin
autem Pontifex vtrique contulit canoni-
catum; aut si vtrique ab Ordinario con-
ferri mandauit, tunc præferendus est is,
qui literas suas prius præsentauit; cum a-
lioquin in gratia æquales sint. Si denique
accidat, vt & in præsentando concurrant,
id est, literas simul præsentent, tum ij ad
quos spectat canonicorum receptio, &
præbendarum collatio, aut maior eorum
pars vnum ex duobus eligant, altero peni-
tus excluso: nisi ex literis Pontificis ex-
pressè appareat, mentem eius fuisse,
vt vtrique prouide-
retur.

SUMMARIUM.

1. In literis beneficialibus attendendum tempus datæ, ut is, qui prius gratiam impetrauit, alteri præferendus sit.
2. Pluribus cum literis Apostolicis eodem die ad eandem ecclesiam concurrentibus in præsentatione, præferendus est is, qui literas prius præsentauit: si simul autem concurrant, locus est gratificationi, ita ut unus illorum pro collatorum arbitrio eligi possit.

NOTANDVM I. In literis beneficialibus de providendo, attendi debet tempus datæ, ut is, qui prius gratiam impetrauit, alteri præferendus sit, iuxta iuris reg. 54. in 6. *Qui prior tempore, potior est iure.* Consentit e. tibi qui 12. hoc tit. & lib. Quapropter, si duorum impetrantium literæ eodem die impetratæ sint, probatio incumbit ei, qui suas prius expeditas affirmat: Similitérque ei qui suas prius præsentatas, ait, cum hoc sit fundamentum intentionis suæ, prout docet Imola in e. relatum n. 8. de præbend.

NOTANDVM II. Si in literis de providendo, quæ pluribus eodem die ad eandem ecclesiam datæ sunt, apparere non possit de prioritate temporis, is præferendus est, qui literas prius præsentauit: Sin autem ponamus, duos, pluresue impetrantes simul præsentasse, tum locus est gratificationi, ita ut unus ex ijs collatorum arbitrio eligatur, sicuti hoc idem dicitur de pluribus à patrono laico præsentatis in e. cum autem, 24. iun. Gl. ver. iudicio Episcopi, de iure patron. Ratio horum est, quia ambæ gratiæ expectatiuæ validæ sunt, quamuis collatores alterutram rejicere possint, siue contra eam excipere, quod Papa non solet ecclesiam vnâ pluribus eiusmodi mandatis grauare: sed debent tunc rejicere eam, quæ minoris firmitatis est: sin autem æqualis, tum demum gratificationi locus est. Alia verò ratio est de literis beneficialibus, quibus pluribus personis vno eodémque die eiusdem beneficii collatio facta est: In hoc enim casu literæ, quæ posteriùs datæ, obreptitiæ sunt, & penitus irritæ, ex quibus proinde nullum ius impetranti ac-

quiri potest, neque earum vigore in possessione, absque intrusionis vitio mitti. Quamobrem prioritas præsentationis in hoc casu prodesse non potest, sed, si de prioritate collationis apparere nequeat, neutra gratia seu collatio Papalis executioni mandanda, interim, donec quid certius intelligatur, prout bene docuit hîc Philip. Francus n. 6.

CAPITVLVM VLT.

Quia.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. Pontifex reuocat omnes indulgentias seu priuilegia perpetua, quæ à se vel Antecessoribus suis concessa sunt personis, ut siue in scholis essent, siue in altera ecclesiarum suarum residerent, siue in Curia Romana moram traherent, siue in alio certo loco, vel etiam (*appareat, verba copulatum, non diuisim accipi*) beneficiorum suorum fructus, exceptis quotidianis distributionibus, percipere possent, Et protestatur, se eiusmodi priuilegium seu gratiam impostero personis non concessurum esse, optátque, cum precipere non possit, ut nec successores sui concedant: Eò quòd vagandi licentiam & dissolutionis materiam præbeat, & in cultus diuini diminutionem cedat, atque ob eam plerumque diuinum officium omitteretur, cum tamen ecclesiasticum beneficium propter præstandum officium conferri soleat.

SUMMARIUM.

1. Indulgentia seu priuilegia omnia concessa à Bonifacio, & eius Prædecessoribus, Clericis de percipiendis perpetuo fructibus, in absentia sunt reuocata.
2. Per hoc tamen non censetur sublatum priuilegium percipiendi fructus beneficii in absentia concessum alicui ad tempus incertum seu indefinitum v. g. dum in studiis versaretur.
3. Neque etiam indulgentia concessa ecclesiis

elefisi, vel dignitatibus reuocata sunt, sed tantum qua concessa sunt personis.

4. *Papa, alijsue Princeps successoribus suis imperare, aut legem prescribere non potest.*

In primis aduerte, hanc indulgentiarum reuocationem duobus modis limitari; Primo, vt tantum perpetuæ indulgentiæ fructus in absentia percipiendi reuocata sint, non item ad tempus, v. g. quinquennij. Nomen autem *perpetuum* in iure idem significare solet, quod dum hominis vita durat, vti colligitur ex l. i. ff. pro socio: Quo ipso sensu beneficia ecclesiastica perpetua dicuntur; siue quod ius tribuant totâ vitâ duraturum, nisi beneficiarius legitime renunciet, vel ob crimen aut inhabilitatêm amoueat, siue, quod per totam vitam durare possint, si sermo sit de beneficiis manualibus, argum. l. Iuris peritos 33. in princ. ff. de excusat. tutorum. Nam & hoc ipso sensu gratiæ Principis perpetuæ dicuntur, quia semper durant, donec reuocentur, vel ijs renuncietur. Qua de re videri potest Azor tom. 2. lib. 3. cap. 26. q. 12. & docui Th. mor. lib. 4. tr. 2. cap. 1.

2. *Quæstio* autem est, si indulgentia siue priuilegium fructus beneficii in absentia percipiendi, concessum alicui fuerat ad tempus incertum, seu indefinitum, v. g. dum in studiis versaretur, vel in Episcopi seruitio, num sublatum censeri debeat? Affirmit hinc Gl. ver. perpetuas, ibid. Francus, quia etiam in hoc casu gratia perpetua esse possit, argum. l. sufficit 5. ff. de condict. indebiti. Cõtrarium tamen magis placet, quod Ioann. Monachus hic docet. Quia licet fateamur, vocem *perpetuum* interdum ita vsurpari, prout etiam Gl. annotauit in cit. l. 1. tamen ea vsurpatio minus frequens est; neque huic textui satis accommodata videtur: Accedit, quod constitutio hæc correctoria sit, seu reuocatoria; & ideo quæ expressè non reuocantur, consistere censentur, argum. l. præcipimus 31. C. de appellat. Dicamus itaque, perpetuam indulgentiam hinc dici, quæ per se ac veluti positiuè perpetuitatem habet, donec reuocetur: non quæ negatiuè tantum, quia certo tem-

pore non definitur; & casualiter fieri potest, vt totâ vitâ duret.

Secundò limitatur ista reuocatio, vt tantum indulgentiæ, quæ personis concessæ sunt, reuocentur; non item quæ ecclesiis, aut dignitatibus: Hæc enim realia, & localia priuilegia, sua pte naturâ stabiliora sunt, magisque fauorabilia, quàm quæ personalia seu personis singulis concessa, prout hinc Gl. admonet, vel dignitatibus; Et Gl. margin. ibid. frequenter fieri, vt quippiam per se concedatur ecclesiæ, aut dignitati; tametsi in utilitatem personarum quasi per accidens redundet.

NOTANDVM I. Propter ambitiosam petentium importunitatem fieri potest, vt Romanus Pontifex dispensationes & gratias circa beneficia largiatur, quæ in ecclesiarum detrimentum, cultûs diuini imminutionem, & officiorum diuinorum neglectum cedunt, atque insolentiæ & vagationis materiam clericis præbent: Et ideo tales concessiones aboleri conuenit, cum nihil magis Ecclesiarum Pastoribus, maximè supremo Pontifici incumbat, quàm diuini cultûs augmentum, ecclesiarumque decorem & bonum ordinem procurare: & quæ his contraria sunt, tollere. Porrò ex hoc ipso textu colligitur, quod, quando Princeps rescripsit, aut indulgentiam, gratiamue concessit contra ius, aut utilitatem publicam, obreptitiè, propter petentium opportunitatem, emanasse, censeri debeat, sicuti hoc ipso allegato textu, annotauit Gaill lib. 2. obseru. 58. n. 9. & Glossa hic ver. importunitatem, quod *propter petentium importunitatem Princeps sæpe non concedenda concedit, vt hic vides, & l. 1. C. de petii. bon. sublati lib. 10.* Dixi de hac re in c. quæ in ecclesiarum, de constit.

NOTANDVM II. Papa, alijsue Princeps 4 successoribus suis imperare, legemue præscribere non potest: quia par in parem imperium non habet, c. innotuit 21. de elect. Sumpsit autem Bonif. VIII. extrema huius c. verba ex l. digna vox 4. C. de legibus, vbi Impp. Theodos. & Valentinianus aiunt, *quod vobis licere non patimur, alitis indicamus.* Ibidem Salicetus, *Paribus licet indicare, non imperare.*